JOACHIMI PASTORII ORATIONES DUÆ.

Quarum

Prima Inauguralis

De

præcipuis Historiæ Autoribus,

altera

De

potissimis eiusdem Argumentis

agit

GEDANI

TYPIS VIDUÆ GEORGII RHETII.

SACR. REG. MAJESTATIS

BURGGRABIO

ILLUSTRI

MAGNIFICIS. NOBILISS. AMPLISSIMIS.

INCLUTÆ. CIVITATIS.

GEDANENSIS

PRÆSIDI. PRÆCOSS.

ET COSS.

DOMINIS. PATRONIS. ET

FAUTORIBUS. SUIS.

Obſervantiæ teſtandæ causâ

L. M.

D. D. D.

JOACHIMUS PASTORIUS D. MED. ET HISTOR. REG. HONORARIUS HISTORIARUM GEDANI PROFESSOR.

Magnifica, Nobilisſima, Amplisſima

Senatus, Urbis, Athenæi hujus,

Judiciorum deniq; capita, Plurimùm Reverendæ Pietatis, & conſummatæ Doctrinæ excellentiâ longè Clarisſimi Viri, Viri graviſſimi, Conſultisſimi, omnis generis Virtutum laudumq; ornamentis præſignes, Flos Juventutis lectisſime, Corona Auditorum optatisſima, honoratisſima;

VAria ſunt ornamenta, variæ opes, quibus Civitatum ſplendorem ac beatitudinem non vulgi tantùm, ſed & ſapientum judicia æſtimare ſolent. Plurimùm eas loci ingenium & ſitus commendat, cum is ita ſalubris, amœnus, commodusq; eſt, ut ipſa Natura blandimentis ſuis trahere illuc habitatores, eosq; qui ſunt, benignisſimo quaſi ubere nutrire

videatur. Nec ſpernendum antiquitatis decus eſt, ubi Civitas per longisſimos multarum ætatum tractus, per ambiguas utriusq; fortunæ vices incolumis ſtetit, floremq; ſuum non ſervavit duntaxat, ſed & ſubinde auxit. Pulchrum eſt, cum ordinatâ ſerie procurrunt plateæ, cum ſtructurarum & altitudine & magnificentiâ inter ſe domus certant, cum turrium templorumq; longè eminent moles, cum valla æquant montium vertices, cum foſſarum alvei altisſimorum fluminum ſuperant profunditatem. Pulchriùs, cum amor & concordia viget, nec aliud niſi Virtutis inter Incolas certamen eſt, cum cives Magiſtratui, Magiſtratus legibus, omnes DEI reverentiæ & publici egregii regulæ ſe pronis animis ſubmittunt. Sed inter alia, quæ ad Urbium decus & emolumentum faciunt, duo nunc minimè omnium mihi prætereunda occurrunt, Commerciorum frequentia, & cultura literarum. Illa auro & ar-

gento Cives ditat, hæc sapientiâ: illa corpori alimoniam & delitias, hæc animo suppeditat: illa externum oculis circumfundit splendorem, hæc cælestem intus lucem accendit: illa præsentia maximè curat, hæc & præterita recolit, & futura sibi secula devincit. Utraq; utilis, utraq; plurimùm decóra Urbi suæ, sed & ipsæ mutuò sibi admodum fructuosæ sunt, cum amicè inter se conspirarunt. Unde fit, ut Civitates, quibus ad aliquod famæ opulentiæq; fastigium exsurgere contigit, pleræq; decus artium cum negotiandi industriâ aut habeant conjunctum, aut olim habuerint. Quæ res si ita obscura esset, ut demonstratione haberet opus, possent ex veteri ævo adduci Athenæ, Alexandria, Corinthus, Rhodus, Massilia & aliæ multæ Urbes: ex recentiore verò longè etiam plures sese offerrent, ita comparatæ, ut non minùs optimarum artium, quàm mercium variarum audiant emporia. Quis enim Lutetiam,

Lugdunum, Burdigalam, quis Viennam, Coloniam, Argentinam, Lipsiam, Cracoviam, quis alias quàm plurimas Civitates negotiorũ opumq; Mercurialium ubertati lumen Sapientiæ & Musarum gloriam adjunxisse ignorat? Nec eam palmam locis sub mitiore cælo positis ita propriam esse passus est Septentrio noster, quin & ipse Urbes habeat Mercatorum frequentiâ ita calentes, ut in iisdem tamen altiorum etiam disciplinarum studiis nullum sit frigus. Non nominabo nunc Urbem, cum aliis ornamentis, tum clarissimæ Academiæ luce ex vicino radiantem, non alias, quæ pariter inter decora sua illustrium Gymnasiorum celebritatem numerant. Hæc ipsa, in quâ jam loquor, Civitas nonne eo splendore & iis copiis enituit, ut plerasq; florentissimarum Europæ Urbium æquet, non paucas etiam superet? Quam ei gloriam potissimum quidem à Neptuno & commerciis accrevisse non est dubium

Sed

Sed ipsa multum sibi ad laudis culmen, & ad veri vigoris perfectionem defuturum existimavit, nisi consvetis opum quærendarum augendar[illegible]ris liberalem artium ac sapientiæ [illegible]n hoc est gemmam nitidissimam pulcherrimo innecteret auro. Innexit feliciter, & Mercurium suum, quò is artibus æquè quàm lucris, more primævo, præesset, optatissimo conjugio cum Musis in manum convenire jussit. Unde adeò nullum scientiæ aut disciplinæ genus est, cui non magnâ & diligentiâ & celebritate jampridem hic litatum sit. Neq; lampadem hanc, longo jam annorum decursu pulcherrimè lucentem, benigna Magnifici Magistratûs cura usq; patitur extingui: sed magno studio & conservat, & quà potest, auget: nullos aliarum, quantumvis gravissimarum occupationum obices, nullam temporum morata adversitatem. Cujus suæ in Musas benevolentiæ, egregiæ sanè & nunquam satis lauda-

laudatæ, nunc quoq; idem amplissimus Magistratus illustre dedit specimen, cum me, aliquibus forsan, sed certè pertenuibus in literario hoc curriculo conatibus dudum sibi cognitum, optabili judicio in Urbem suam vocavit, ibidemq;, statione honorâ, provehendo literarum incremento voluit invigilare. Quo nomine ut eidem Nobilissimo Magistratui me plurimùm debere fateor, ita quantum in me est, & quantum hæc valetudo permittet, operam daturus sum, ut is judicii sui & affectûs benigni non pœnitendum assequatur fructum. Quia autem non ignarus sum, eam commissi mihi muneris & dignitatem & gravitatem esse, ut illud non tam meis his vireculis, quas & nimis debiles esse, & aliis insuper laboribus premi sentio, quàm firmissimis quibusq; humeris convenire videatur, ante omnia Deum Triunum ardentissimis precibus invoco, ut potentiam suam in imbecillitate meâ ostendere, atq;

adeò infirmo mihi robur, alacritatem, prudentiam cælitùs affundere, amorem, gratiam, honestamq; existimationem apud omnes bonos conciliare, deniq; totum hoc, quod jam agitur, ita dirigere dignetur, ut Divino ejus nomini honor, publico civitatis & literarum bono adjumentum, mihi ipsi non leve solatium ex hâc functione meâ efflorescat. Cæterùm quia muneribus ejusmodi publicis sermone auspicali præludere atq; initiari non magis more receptum, quàm ex decori lege honestum est: non refugio ipse etiam hoc quicquid est laboris: sed eum haud paulò difficiliorem mihi ipsâ argumenti electione reddi non diffiteor. Nam sive expectationem Vestram sive officii mei partes spectem, de Historiâ omninò mihi dicendum esse videtur. At de ejus & amplitudine & dignitate & fructibus, de officio item Historici alibi cum curâ dixi: vobis autem, honoratissimi Auditores, qui, quæ ibi

dicta sunt, pleriq; aut legistis, aut legetis, cramben eandem hic velle apponere, quid aliud esset, quam benignitate & patientiâ Vestrâ intemperantissimè abuti? Verùm solvit, imò & castigat hanc anxiam solicitudinem meam ipsa Historia; spatiosa scilicet ac latè admodùm diffusa Arbor, quæq; adeò unâ alterâve concussione ita nudari nequit, quin ulteriori etiam curæ ac desiderio multum aut certè aliquid reservet. Ac sanè cum numerosissimos hujus Arboris ramos curiosiore nunc oculorum diligentiâ perlustro: superesse in iis & non pauca comperio, & ab iis, quæ ante â me unquam dicta sunt, planè diversa. Sed, cæteris missis, duo hæc inprimis mihi excutienda sunt, *quorum potissimùm hominum industriâ culta sit, & coli amet Historia: & deinde, quæ rerum genera soleat complecti.* Locuples & benigna materies est, adeò ut in eâ difficile sit modum tenere verborum, longè autem difficilius, novitatis placere lenocinio.

nocinio. Eo enim ævo loquor, quo eruditorum induſtria nihil penè inexcusſum, nihil indictum reliquit: & coram talibus loquor, qui & plurima legerunt, & nihil propè ignorant. Ut ita oratio hæc mea gratiam, quam nec â ſe, nec â raritate argumenti expectare adeò poteſt, â benignitate inprimis veſtrâ ſperet petatq;. Genus humanum, Honoratisſimi Auditores, uti indole varium, & voluntatibus disſonum eſt, ita non unius ſtudii eſſe, nec eundem ſequi vitæ colorem potuit aut debuit. Diſtribui illud in varia munia, & multiplices clasſes, viisq; diverſisſimis ad communis boni metam tendere oportuit. Quarum omnium numerum inire atq; edisſerere, non hujus temporis, nec mei inſtituti eſt. Huic enim abundè ſatisfiet, cum dixero, quod per ſe in propatulo eſt, hominum alios literatos, alios illiteratos; alios porrò in publicorum munerum luce agere, alios in vitæ privatæ delite-

ſcere umbrâ. Ac ad Hiſtoriam quidem literatos illiteratis aptiores eſſe, à nemine arbitror dubitari. Illud verò non æquè liquidum, an eos, qui Hiſtoriam ſcribunt, penitisſimè imbutos eſſe literis oporteat, an potius iisdem aliquomodo tingi aut adſpergi ſatis ſit. Nec enim deſunt ingenia, quæ & vis Naturæ tam eximia finxit, & rerum uſus eò deniq; perduxit, ut exiguâ literarum luce adjuta, quidvis bellè, & non infeliciter agant. Atq; in Hiſtoriâ etiam aliquos non malè operam poſuisſe fateor, quos alioquin artes liberales vix primoribus labris ſcimus attigisſe. Comineum utiq; conſtat, diſciplinarum & linguæ Latinæ prorſus ignarum fuisſe: nihilominus hiſtoriam vernaculâ linguâ ſcripſit, quam & omnes literati magni faciunt, & Lipſius, vir ſummæ inter eruditos famæ, non dicam ſupra meritum, ſed certè ad invidiam penè usq; deprædicat. Verùm raræ profectò tales Aquilæ ſunt, & Comineum

nunc

hunc, perſpicaci, ut apparet, ingenio prædi-
tum illuſtres duorum diverſisſimorum Prin-
cipum *Ajacis* ſcilicet Burgundici, & *Ulyſſis*
Gallici aulæ, longisſimâ multorum annorum
exercitatione quaſi elaborarunt: majoremq;
haud dubiè effecisſent, ſi ad tantas Naturæ
vires & fortunæ commoditates literarum lu-
men accesſisſet. Et ſanè, ſi muneris Hiſto-
rico incumbentis difficultatem rectè ponde-
remus, eſt ea tanta, ut eruditionis adminicu-
la habenti multùm faceſſat negotii, non ha-
benti vix ſit ſuperabilis. Tam enim variæ
ſubinde res, tam & intricatæ ſpinoſæq́;, gran-
dius præſertim Hiſtoriæ opus molienti, oc-
currunt, ut in Labyrintho identidem ſe eſſe
experiatur, ex quo, ſine doctrinâ, ceu Ariad-
ne quâdam, nequeat evadere. Ut perpe-
ràm omninò faciant, qui, ut literas, quas igno-
rant, aliorum contemtui ac faſtidio expo-
nant, ab Hiſtoriæ eas ſpatiis vellent exclu-
ſas: digni prorſus, qui ingens mare ſine na-

vigio trajicere jubeantur: nam hoc illi ab aliis poſcere aut exſpecta re videntur, cum ſine literarum peritiâ res magnas & varias ad poſteritatis memoriam transmitti poſtulant. Sed hoc jam nobis extra litem & controverſiam ſit, literatis omninò Hiſtoriæ ſcribendæ laborem honoremq; præ aliis competere: nihilominus adhuc anceps diſpiciendi cura relinquetur, quod genus literaturæ ad Hiſtoriam maximè videatur idoneum. Latè enim, ut notum eſt, patet eruditio, &, ceu Regnum Ampliſſimum, in multas quaſi regiones deſcripta eſt. Sunt in eâ ſcientiæ, quæ naturam & res occultas ſcrutantur. Sunt artes, quæ verum à falſo diſcernere, ſunt aliæ, quæ comere verba, & animos humanos voce, quò velis, flectere docent. Et hæ quaſi rudimenta & gradus ſunt ad majores diſciplinas: quarum aliæ divina nobis promunt myſteria, aliæ juſti injuſtiq; diſcrimina exponunt, aliæ valetudinem regunt

præ-

præſentem, abſentem reddunt, aliæ ad honeſtatem mores, domum familiamq; ad commoditatem, Rempublicam ad commune decus & emolumentum dirigunt ac moderantur. Si ingenii humani tanta capacitas, tantæq; vires eſſent, ut his omnibus asſequendis unus idemq; homo ſufficeret, foret ſanè, de quo plurimùm ſibi mortalitas gratularetur. Nec diffiteor equidem, reperiri nonnunquam tam felicis induſtriæ homines, ut hunc omnis divinæ humanæq; Sapientiæ Orbem, raro quodam cæli favore, tantùm non totum emetiantur. Sed fieri tamen vix poteſt, ut hi iidem in ſingulis iſtis diſciplinis ad faſtigium perveniant, neq; dubium eſt, aliqua ipſos magis non ignorare, quàm penitius ſcire. Ingenia igitur, quæ intra modum moremq; uſitatiorem conſiſtunt, cum in omnibus ſimul artibus eximium aliquid præſtare ſe haud poſſe ſciant, perceptis iis, in quibus cæterarum fundus eſt, in facultatum ſuperio-

rum

rum unam, rarò ſimul alteram, tempora ſua impendunt. Et inde fit, ut qui in univerſis infra mediocritatem forſan ſubſtitiſſent, in ſingulis facilius ſoleant eminere. Inde etiam nata ſunt varia literatorum genera, & quædam quaſi familiæ. Ita ut alii philoſophi, alii Oratores, alii Poëtæ, alii Theologi, Jurisconſulti, Medici audiant. Optandum eſſet, Hiſtoriæ quoq; id pretium & fuisſe ſemper, & adhuc ubiq; eſſe, ut ei ſoli decòra ſe applicare ingenia aut poſſent, ſi vellent, aut vellent, ſi poſſent. Longè profectò auguſtiùs illa exſplenduisſet dudum, ſi animis operisq; culta fuisſet minùs diſtractis. Nam & reperit ſanè in Hiſtoriâ, quod agat, etiam ille, qui nihil aliud agit: et tantùm porrò in illâ Deâ ſitum eſt, ut aram omninò propriam, & flaminem mereatur peculiarem. Herodotus, ſi non omnium Hiſtoricorum, eorum tamen, quos ex Græciâ habemus, penè princeps eſt. At is, quantum

tum ſcire licet, nulli alii rei vacavit, qvàm Hiſtoriæ. Rei Romanæ nemo majeſtate ſcribendi par magis Livio fuit: at idem ſtudium, laborem, vitam deniq; omnem in Hiſtoriâ conſumpſit. Neq; hodie etiam deſunt Viri, qvibus vel ſua fortuna, vel publica liberalitas tantùm olei affundit, ut habeant, unde elucubrare hiſtorias posſint. Nec enim disſimulanda eſt Mæcenatum benignitas, ne ipſum ſilentium immemore beneficiorum animos prodat, eorumve, qvi benè de literis & hiſtoriâ merentur, munificentiam reddat ſegniorem. Interim fit etiam ſæpenumero, ut Hiſtoriæ ſtudium cum aliis neceſſe ſit conjungi: nec erigere ſe iſta hedera posſit, niſi alii innitatur arbori. Subinde igitur vel ſacris diſciplinis, vel Juris ſtudio, Medicinæ, civili prudentiæ, arti dicendi, aliisve ejusmodi facultatibus & vitæ generibus ſeſe innectit ac qvaſi ſuperſtruit. Ut

 adeò

adeò negare ineptum ſit, copulari illam cum artibus aliis poſſe: cum conjugium iſtud non paucis exploratum habeamus exemplis. At cum qvo artium aut ſcientiarum genere facilius ſocietur ac coäleſcat, haud perinde apertum eſt. Videtur enim ea nullam penè diſciplinam aſpernari. Omnes admittit; prout etiam ab omnibus ambitur prenſaturq;: qvia nimir. omnibus fructuoſa eſt, & rivulis ejus nulla facilè poteſt carere. Unde evenit, ut qvi aliis qvibuscunq; artibus animum addixerint, non ſolùm legere ſoleant Hiſtorias, ſed eò etiam nonnunqvam provehantur, ut ad exemplum monumentorum, qvæ legerint, effingant ipſi ſimilia. Qvod ut pateat, in qvovis artium genere fieri poſſe, age ſingulas, aut ſaltem potisſimas ordine perluſtremus. Primò omnium Theologia ſeſe offert, ſanctisſima diſciplina, magiſtra pietatis, fons omnis ſolidæ

ſapien-

ſapientiæ. Hæc qvia in rebus cæleſtibus occupatur, & ipsâ religionis majeſtate veneranda eſt, videri forſan poſſit ſpernere â ſe hiſtoriam. At ingentem profectò ei injuriam fecerit, magnæ etiam ignorantiæ ſibi ipſi inusſerit notam, qvi ita ſenſerit. Si qvæ enim facultas, ſi qvæ diſciplina eſt, qvæ Hiſtoriam amat, deq; eâ benè mereri ſtudet, eſt utiq; ſacra hæc diſciplina. Huic certè primam Hiſtoriam, & omnium aliarum fontem debemus Hiſtoriam Moyſis: qvi vir, ut ſacer fuit, ita nullum utilius perenniusve divinitatis ſuæ ſpecimen reliqvit, qvam qvod mundi natales, ejusdemq; primam ac â DEI manu recentem ætatem, â nullo alioqvin mortalium rectè proditam, primæ deniq; Eccleſiæ fata & DEI circa eam labores nobis enarravit. Eam maximi viri hiſtoriam continuari, & ad ſera usq; tempora, ſerie inabruptâ, produci, pietatis & humani gene-

ris intererat. Continuata eſt, ſed â viris pariter ſacris, & plerisq; non Theologis tantùm, ſed prophetis. Qvos cum in ipsâ Hiſtoriæ ſcriptione afflare dignatus ſit illuminator ille Spiritus: nonne hoc ipſo teſtatum voluit, qvanti â DEO qvoq; ter maximo fiat Hiſtoria: qvantiq; ab hominibus æſtimari debeat, cui â cælo ipſo tantùm habeatur honoris? Neſcio an â gente sacrâ hauſerit, ſed habuit certè, primis ſeculis ſuis, eam conſvetudinem Roma, ut ſcribendorum Urbis annalium curam non aliis, qvàm ſummis Pontificibus committerent. *Pontificibus*, inqvit Macrobius, *permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant maximos, qvaſi â maximis Pontificibus factos.* Nec condendi tantùm annales cura, ſed & cuſtodia eorumdem, veluti rei ſacræ, iisdem Pontificibus incubuit: eaq; adeò religioſa & ſolicita, ut domo Pontificum eos efferre nefas eſſet*. Et

* *Vid. Joan. Gerard. Voſſ. de Hiſtor. Lat.*

isti

isti qvidem annales præcipuum semen, ac prima radix fuêre, unde omnia illa, qvæ de populi R. rebus postea proditæ sunt, excrevêre. Interq; causas, per qvas factum sit, ut in primis infantiæ Romanæ seculis caligaret historia, hanc penè principem affert Livius, qvod in primo Urbis incendio, â Gallis orto, Annales unà cum Urbe conflagrassent. Qvod verò in sacro antiqvi fœderis populo, qvod inter Chaldeos, qvod in Romanâ deniq; gente obtinuerat, id etsi paulò minori curiositate, observatum tamen etiam est â Christianis. Nam & inter hos non alii majorem Historiæ curam gessêre, quàm Theologi. Sed primorum qvidem Christianismi seculorum ut res, ita rerum narationes partim obscuravit vetustas, partim persecutorum Tyrannis abolevit. Fortè etiam laudis externæ adeò negligens prima illa innocentia fuit, ut dum sangvinis sui opus Ecclesia

cresce-

crefceret, teftem fangvinis fufi hiftoriam non perinde moraretur. Scribere eam deniq; inter afsiduas illas calamitates vix cuiqvam aut libuit, aut vacavit. At cum imperio poftea Chriftiani ipfi potirentur, commovit fe unà cum Ecclefiæ rebus Hiftoria: Sed autoribus potisfimùm ejusmodi, qvi Ecclefiæ fefe, & rerum facrarum regimini curæq; applicuisfent. Certè Eufebius, qvi inter Chriftianos, in hiftoriâ condendâ, uni Julio Africano fecundus fuit, Cæfareæ Paleftinæ fuit Epifcopus. Ejus poftea Chronicon vertit auxitq; fanctisfimus Presbyter Hieronymus, qvi idem aliis qvoq; fcriptis de Hiftoriâ præclarisfimè meritus eft. Presbyter etiam fuit Sulpitius Severus, nobilis ille Hiftoriæ facræ conditor. Presbyter Paulinus, qvi B. Ambrofii vitam defcripfit, presbyter Orofius, Epifcopus Jornandes, epifcopus Ifidorus,

Epifco-

Epiſcopus Freculphus , Abbas Vala-
fredus Strabo , Abbas Trithemius,monachus Beda , Zonaras , Schafnaburgenſis. Nec propiora nobis ſecula virorum ſacrorum in Hiſtoriâ diligentiam deſideravére. Certè enim res Italicas & multa alia memoranda diſertisſimo ſtylo deſcripſit Paulus Jovius, Præſul Nucerinus: Venetas Bembus, & Contarenus, uterq; Cardinalis. Hiſpanicas olim Rodericus Ximenes, Archiep: Toletanus; novisſimè verò Mariana. Polonicas uti olim Cadlubeus, Cracovienſis epiſcopus, ſic poſt eum Duglosſus, & tandem Cromerus, Lubinſcius, Socolovius, Piaſecius, prodidêre magni omnes in Eccleſiâ ſuâ Præſules, in Republicâ Senatores. Sveciæ ſuæ res cõpoſuit Joannes Olaus, & alter L. Paulinus, Gothus uterq;, uterq; Upſalenſis Primas: Bohemicas Æneas Sylvius Pontifex poſtea Maximus: Danicas Saxo Præpoſitus, Bel-

gicas

gicas Strada; Saxonicas Crantzius Canonicus, & poſtea David Chythræus, vir non minus ſacrâ, qvàm aliâ omni eruditione celebris. Sed miſsis tandem Theologis ad illud literatorum genus tranſeo, qvod in jure dicundo verſatur. Nam ab hoc pariter non parùm ſemper decoris atq; ornamenti habuit Hiſtoria. Verùm, qvia non hoc tantùm ſeculo, ſed jam olim id habuére Juris-Conſulti, ut raro intra legum curriculum ita conſiſterent, qvin ad dignitates civiles proveherentur: inde fit, ut plurimi eorum, alio plerumq;, qvàm Juris-Conſultorum nomine, venerint in literas. Interim certum eſt, multos in Hiſtoriâ celebres viros, in Jure pariter excelluiſſe. Conſtat inter eruditos, magnum illud Hiſtoricorum lumen Corn. Tacitum cauſis orandis aliqvando vacaſſe: idemq; ſtudium Plinium juniorem evexit: cujus viri ſummum ad Hiſtoriam ſcribendam ardorem

literæ

literæ ejus loqvuntur: & qvantumvis de Viris Illuſtribus, qvod vulgò illi tribuitur, non ſcripſerit, alia tamē ipſum in hiſtoriâ molitum, minimè ignoramus. Non ignobiles qvoq; ævo Juſtiniani, fuère Hiſtorici Procopius & Agathias: uterq; tamen juxtà Advocatus fuit: alter etiam Scholaſticus ideò dictus, qvia eo tempore collegia Jurisperitorum, ut doctisſimorum doctisſimus Vosſius docet, Scholarum nomine appellabantur. Sed jam ad Medicos pergere nobis liceat. Inter qvos ipſos qvoq; non pauci reperiuntur, qvi arti ſuæ, qvantumvis qvæſtuoſæ, ita unicè immorari aut immori noluerunt, qvin aliqvid ſimul otii darent Hiſtoriæ, vitamq; adeò hominum non pharmacis tantùm diuturniorem, ſed ingenio & ſtylo æternam reddere ſtuderent. In iis meritò agmen ducit Beatus Lucas, qvi Antiochiæ arte Medicâ clarus, clariorem ſe reddidit ſanctâ illâ medicinâ, qvâ Evangelij & Actionum Apoſtolicarum ſcriptor, Orbi

 uni-

universo æternùm profuit. Obscurior sancto Luca, sed eodem longè antiqvior, & inter primos certè Græcorum Historicorum numerandus Ctesias Cnidius est: qui Cyri secũdi, Persarum Regis, Medicus & itinerum comes, accuratâ rerum Assyriarum Persicarumq; narratione majus sibi, quam nunc habet, nomen promeruit; aliorum verò, qui vestigia ejus legerunt, labores plurimum juvit, adeò ut & Diodorus Siculus multa ex eo se hausisse fateatur. Ad Medicorum quoq; classem Eunapius pertinet, qui Gratiani Imperatoris tempore & artem fecit Medicam, & res gestas Cæsarum, post Herodianum, eleganter satis descripsit. Quo labore tamen, nescio quâ fati sinisteritate ad latebras damnato Orbis literatus hactenus non utitur: sed usus olim est Zosimus, qui Eunapii istius plumis historiæ suæ opus affabrè exornavit. Nec posterioribus seculis defuêre viri, qui cum sanandi peritiâ Historiam pari propè

 laude

laude conjungerent. Medicus & juxta Historicus fuit Antonius Galateus, vir à Joviano Pontano, Hermolao Barbaro, Sannazario multùm adamatus laudatusq;. Eum seculo ferè uno antecessit Nicolius, ob Medicinæ & Historiæ laudem inter lumina Florentiæ numeratus: porròq; omnimodâ eruditione id elogium adeptus, quod olim Longino tributum fuerat, ut viva bibliotheca appellaretur. Ejus scripta asservari putantur Florentiæ in Bibliotheca S. Marci, quam is vir liberalitate suâ ibidem instruxit, ut idem, quem ante nominavi, Vossius in vitâ ejus testatur. Avorum nostrorum memoriâ claruit Joannes Cuspinianus, vir eo certè admirabilis, quòd ambiguum reliquit, meliorne Orator, an Medicus an Historicus appellari mereatur. Si notiora nomina quærimus, occurrit Peucerus, doctissimus sanè Medicus, sed qui idem in augendo illustrandoq; Carionis chronico laudatissimam navavit operam. Oc-

currit quoq; Joachimus Cureus, cujus præter medicos labores, Historia extat, quâ res Silesiæ, ab ovo, ut ajunt, orsus, grandi & accurato opere contexuit. Si Polonicam deniq;, quæ nos propiùs tangit, Historiam spectemus, eam duo inprimis Medici non leviter excoluêre, Mattias Miechovius, & Joannes Innocentius Petricius, quorum ille res Sarmaticas ab initio, stylo paulò horridiore & nempe seculi sui genium redolente, alter Bellum Chotimense & alia nonnulla, elegantissimè & Corneliano prorsus acumine executus est, vir sanè dignissimus vitâ longiore. Quod si autem istæ disciplinæ, quæ & supremæ dignationis sunt, & totum plerùmq; hominem desiderãt, historiæ scribendæ industriâ non excludunt, quid de aliis sentiemus, quæ seipsis rarò contentæ, cæterarum comites & ornamenta esse gaudent. Hæ certè cum Historiâ non tantùm facilè sociari se patiuntur, sed ambiunt, sed ardent sociari. Inprimis illa ars, quæ rem quam-
libet

libet cultu quodam verborum veſtire, & vi blandâ animos mulcere, aut etiam, ubi opus eſt, quaſi telo quodam penetrare ac perrumpere novit. Ea ex magnis equidem illis eloquentiæ non Coryphæis tantùm, ſed Parentibus, Demoſthene, Cicerone, & ſi qui alii his affines ſunt, potisſimùm hauriri ſolet: ita ut quo quis ad horum faſtigium accesſerit propiùs, eò plus laudis apud ſolidos iſtius artificii cenſores mereatur. At minimè illa Hiſtoriarum etiam Autores aſpernatur: ſed imò adamat colitq; mirificè, iisdemq; ſi non ut parentibus Spiritum, tamen ut Nutriciis optimum ſui alimentum ſe debere libens profitetur. Præſertim, quando non tam ad forum, quod Romæ olim frequentisſimnm Oratorum curriculum fuit, hodie autem ferè esſe deſiit, quàm ad Orcheſtram politicam ſe accingit. Tum enim viros magnos, & tam ſapiendi quàm dicendi peritos, apud Hiſtoricum in curiâ loquentes & de Republ. deliberantes au-

dire mavult, quàm alios aut eosdem etiam, ſuper pariete perfoſſo, ſuper incertis agrorum finibus, aut ſuper hæreditate inter Cajum & Sejum herciſcundâ litigantes. Verum prout ex Hiſtoriæ uberibus plurimùm optimi ſucci trahit Oratoria diſciplina: ita eadem id, quod traxit, cum fænore refundit, ſi quando ad Hiſtoriam componendam vel ultrò accedit, vel ab aliis pertrahitur. Reddit tùm, quicquid puri lactis ex Cæſare, quicquid cordatæ ubertatis ex Livio, quicquid ſuavis elegantiæ ex Curtio, quicquid deniq; exquiſitæ acrimoniæ ex Saluſtio & Tacito hauſerit. Reddit autem ita, ut qvomodo reddat, non advertatur, nec niſi, cum id, quod ex illis acceperit, domeſticâ coctione atq; aſſimilatione fecerit ſuum. Verùm ſunt non nulli, quibus ars Oratoria Hiſtoriæ periculoſa eſſe, & tantundem penè da. mni, quàm utilitatis parere videtur. Putant enim ad illam Veritatis tabulam, qualis Hiſtoria eſſe debeat, colores ac pigmēta ſua afferre

Orato

Oratores: quæ tamē ab illâ longè abesse debere arbitrantur. Et fateri equidem oportet, difficile esse ei, cui lumina verborum etiam invocata & minimè quæsita affluunt, affluentibus, ubi occasio est, non uti; et talis fortasse tantùm laboris in arcendis illis, quàm alius in conquirendis insumpserit. Certè haud facilè is unquam tam accuratus sui custos erit, quin plus aliquando ornamentorum, quàm velit aut opus sit, non sentienti etiam subrepat. Interim existimo, hoc, si citra damnum veritatis fiat, nihil ei detrahere apud homines comiter eruditos, & quibus non nimis tetricâ frons caperat severitate. Facilè isti floridam esse historiam patiuntur: eamq; matronam sanè esse volunt, sed tamen liberali vultu, nec calamistris quidem inustam, attamen nec incomptam, nec pannosam. Et certè, cum nusquam non munda disertaq; Historici oratio esse debet, tum aliquando assurgere omninò cogitur, imò & quodammodo rethoricari. Subin-

de-

de enim conciones & ſuffragia Ducũ, Senatorum, & omnis generis hominũ verba referenda ſunt. Quibus qui carere Hiſtoriam volunt, mutam aliquo modo & elinguem faciunt, privantq; eandem maximo ſui ornamento. Cum illa vel eo maximè Picturam ſuperet, quod hæc figuram & actiones hominum utcumq; adumbrare poteſt, ſermonem non poteſt. Hiſtoria autem non Urbes modò & earum cives, non Curiam tantùm & Senatum, non Campum, Duces, milites, & quicquid ab iis actum eſt, depingit vivis coloribus, ſed ſimul quoq;, quid dictum, quid judicatum, penè etiam quid cogitatum ſit, accurato & quàm poteſt accommodatisſimo ſermone exponit. Hîc non decet aridum vel jejunum esſe Hiſtoricum; & ne ſit, nota ſibi lumina dicendi habeat, necesſe eſt. Nam & diſertisſimorum nonnunquam hominum, imò primæ notæ Oratorum ſermones exprimendi ſunt: quos vi dicendi non asſequi posſe, turpe ſa-

pe ſanè fuerit Hiſtoriæ ſcriptori. Verum arti dicendi cum Hiſtoriâ optimè convenire tam evidens esſe puto, ut injurius in utramq; fore videar, ſi operoſiùs oſtendere connitar, quod in controverſiam vocari non debet. Sed & clarisſima omnium ſeculorum exempla anſam dubitandi præcidunt. Ex Græcis Philiſtum Siracuſanum primo loco nominare lubet, quia, ut tradunt, qui Hiſtoricorum vitas conſcripſêre, primus oratoriæ Artis lumen ad Hiſtoriam creditur attulisſe. Ciceroniis acutus, & brevis, & puſillus *Thucydides* vocatur, Dionyſio autem Halicarnasſeo viſus eſt dignus, qui inter quinq; imitandos Hiſtorico Autores, quos iſtic nominat, numeraretur. Cui jure meritò Demetriũ Phalereum ſubjungo. Ille Theophraſti auditor, Athenarum præfectus, & ibidem trecentis ſexaginta ſtatuis ornatꝰ, tandem in Ægypto Bibliothecæ Alexandrinæ curam gesſit. Ejus porrò ut oratoriam in dicendo ſuavitatem ſubinde

deprædicat Cicero: ita in Historiâ scribendâ diligentiam multi bonæ notæ Autores celebrant; monumenta ipsius identidem laudantes, quæ illis visa lectaq;, nobis invidiâ temporum prærepta sunt. Parem aut propè majorem laudem inter veteres Timæus meruit: de quo Ciceronis audivisse sufficiat testimonium: *post Callisthenem*, inquit, *Timæus eruditissimus, & rerum copiâ & sententiarum varietate, & ipsâ compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit.* Inter Latinos, præter Cæsarem, virum & agere magna & dicere natum, Valerius Messala magnæ Eloquentiæ fuit, sermonis Latini adeò diligens, adeò simul svavis, ut duabus his rebus Ciceronem ipsum superare videretur. Sed idem vires quoq; suas in Historiâ expertus est, eo solùm infelix, quod labores ejus immortalitate, quam meruerant, fati quâdam iniquitate exciderunt. Quid in Historiâ molitus sit Plinius Secundus, dictum ante nobis est: quid in eâdem

dem præſtiterit Tacitus, notius eſt, quàm ut dici debeat: at uterq; eloquentiâ plurimum valuit: quod de altero, ſi alia abesſent, ſplendidisſimus ille Panegyricus, quem Trajano dixit, clarisſimum facit, de altero hic ipſe Plinius, & ex eo Lipſius teſtatur, cùm in principibus eum Oratoribus fuisſe & Orationes aliquot edidisſe, in vitâ ipſius affirmat. De Curtio Rufo controverſum eſt inter eruditos, quo ævo & quâ conditione vixerit: potiores tamen ſententiæ eò inclinant, Rhetorem fuisſe, & extremâ ſenectute hiſtoriam ſuam, rigidâ ſcilicet hyeme pulcherrimum florem, edidisſe. Quod ſi per noſtri quoq; ſeculi viros literatos circumferre libeat oculos, videbimus plurimos, impenſo Eloquentiæ & juxta Hiſtoriæ ſtudio, os famæ meruisſe. Sed plerosq; iſtorum poëſeos etiam laudem cæteris ſuis adjecisſe ornamentis video. Quod forſan in Hiſtoricis mirum videatur cuipiam, ſed videri profectò non debet. Non enim noſtrâ

 demum

demum ætate iſta inter ſe ſtudia cöaluere. Nec primus ea junctim coluit Thuanus, Douza, Buchananus, Grotius, Puteanus, Heinſius, Strada, Barlæus, Pontanus, Boxhornius. Jam olim Meſſala, Lucanus, Silius Italicus & alii, magni nominis poëtæ, in Hiſtoricorum pariter cenſu locum habuere. Idemq; honor, Friderici Barbaroſſæ tempore, Gunthero, idem ſuperioribus ſeculis Franciſco Petrarchæ, Horatio Romano, Nicolai V. Pontificis Romani delicio, idem Philelpho, idem Antonio Galateo contigit. Nec eſt ſanè, cur Hiſtoriæ à poëſi quisquam optet divortium, quaſi inter ſe disſideant. Disſident, ſed concorde quâdam diſcordiâ: disſident, ſed ut mutuo etiam ſeſe juvent auxilio. Fateri equidem oportet, esſe poëſeos genium in figmenta pronum, nec in eâ religioſæ orationis quaſi ſub teſtibus fidem reperiri, imo nec requiri. Hiſtoriæ contra uti primus ſcopus Veritas, ſic fingere, religio & ſummum nefas eſt. Poëtas

tas plerumq; vulgari pudet ire viâ. Cælum & ſidera tranſire, mera numina ſpirare ac loqui amant, ut aliquid ore mortali canãt grandius. Hiſtoriæ verò laus ſumma eſt, dicta rebus æquaſſe, & id quod factum eſt, verbis planisſimis expoſuisſe. Eſt itaq; aliqua inter Hiſtoriam & Poëſin diſcordia: ſed nempe, qualis inter Gravitatem & Urbanitatem, quæ utraq; tamen in eodem homine eſſe poteſt, quanquã non eodem tempore utraq; ſeſe ſolet aut debet exſerere. Eſt, ubi ſuavibus colloquiis aut etiam jocis tempora fallere, animumq; remittere decet. Sed ſunt quoq; negotia, â quibus ſales omnes quàm longisſimè debent abesſe. Ita poteſt vir doctus, cum tempus & otium eſt, ſomniare in bivertice Parnasſo, poteſt idem, quando res requirit, misſo fonte Caballino, veris rerum geſtarum narrationibus mentem applicare. Neq; obfuerit illi apud juſtos rerum cenſores vocem aliquam efficacem ac ſignificantem è Poëtis inſeruisſe operi; cum id jam olim viri doctisſimi hiſtoriam

non dedecere judicaverint, & idem fecisse Cornelio Tacito minimè fuerit fraudi. At nimium forsan diu Historiam & simul orationem meam intra eas disciplinas contineo, quæ pulcherrimæ equidem & fructuosissimæ sunt, â quibusdam tamen pro umbraticis habentur, quia ad clavum Reipublicæ magis præparant alios, quàm ipsæ per se accedunt. Age itaq; ex illâ, si Diis placet, umbrâ in Campum Martium, atq; in templum Honoris eandem producamus. Quò clariùs pateat, posse illam, cum ita fert temporis ratio, in secessu & intra privatæ vitæ cancellos res suas agere, suo se censu, suo honore, & inprimis bonæ conscientiæ pretio solantem: sed posse eandem quoq; in apricum prodire, posse negotia tractare, etiam illa, quibus cardo innititur imperiorum. Quæ res cum exemplis commodissimè confici possit, in his afferendis ibimus per gradus: initium facturi ab iis muneribus, quæ civilia & politica quidem, inferioris

tamen

tamen quaſi ſubſellii ſunt, & magis adhuc ſerviunt, quàm imperant aliis. Aulæ itaq; vel Curiæ miniſtros primùm videamus. Inter quos locum Hiſtoricis fuisſe vel Svetonii nos docet exemplum, qui Adriano Imperatori ab epiſtolis fuit. Ante eum Zenobiæ, clarisſimæ illius Palmyrenorum Reginæ conſilia rexit Dionyſius Longinus, magnus orator, doctus hiſtoricus, ambulans Muſæum & viva bibliotheca appellatus. A ſecretis Procopium habuit Juſtinianus, Zonaram Alexius Comnenus, Antonium Panormitam, & poſt hunc, Joannem Jovianum Pontanum, quem utumq; paulò ante inter Poëtas numerabamus, Principum ille nominatisſimus, Alphonſus ſcrinio Regio ſeu epiſtolarum magiſterio præfecit. Inter domeſticos & aulæ quaſi continuos Baptiſtam Platinam Xyſtus Pontifex M., Galeottum Martium Mattias Corvinus Ungariæ Rex, Robertum Gagvinum Ludovicus XII Rex Galliarum fovit dilexitq;.

xitq;. Quos tres viros eò lubentiùs junctim nominavi, quod ſinguli pariter, magnâ ſuâ & hiſtoriæ felicitate, Bibliothecis præfecti fuêre: Platina Vaticanæ, Galeottus Budenſi, Gagvinus Pariſianæ. Si militiæ porrò munia & cruentam Martis arenam inſpicere lubet, hanc quoq; Hiſtoricorum veſtigiis ſignatam reperiemus. Certè Thucydidem exercitûs ductandi ſcientiâ polluisſe antiqui teſtantur. Xenophontem quoq; conſtat Cyri comitem fuisſe in eo bello, quod iſte Rex cum fratre Artaxerxe gesſit. Scipioni Æmiliano in bello Africano asſiduus non modò ſpectator, ſed multarum rerum miniſter & arbiter Polybius adfuit. Arma quoq; ſub Gratiano Imperat. Ammianus Marcellinus tractavit: unde & ſtylus ejus non uſitatā tantùm illo ſeculo, ſed & militarem inſuper auſteritatem, & prorſus ferrum ſapit, quod miles geſtavit. Sed jam Hiſtoriam noſtram ab Aulæ miniſteriis & militiæ pellibus ad latum

clavum,

clavum, ad fasces Consulares, ad paludamenta Imperatoria, ad solium deniq; Regale tempus est deducere. Ut in hoc deniq; rerum humanarum summo fastigio, & majestate illâ, uni Divinæ secundâ, triumphans quiescat. Ac primùm quos in veteri Romanorum Republica honores gesserint antiquissimi illi Urbis Dominæ historici, Fabius Pictor, Cato Censorius, Fannius, Sempronii, Scaurus, Sisenna, Hortensius, Lutatius, prolixiùs commemorare nolo, cum id vel non ignotum sit, vel disci facilè possit ex monumentis, quibus Historicorum seriem viri doctissimi sunt complexi. Et quia scripta eorum, aut integra, aut majori ex parte intercidêre; inde iisdem penè etiam locus periit inter Historicos. Magis noti clariq; sunt Salustius Prætor, & bis Senator (nam semel dignitate motus, à Cæsare verò restitutus est), Vellejus Paterculus equitum primò Præfectus, deinde Quæstor, & in bello Pannonico legatus, Josephus sum-

mæ inter Judæos olim dignationis, Silius Italicus, Plutarchus, Tacitus, Dion Cassius, Sextus Rufus, Aurelius Victor, Prudentius, Cassiodorus, omnes aut Consules, aut consulares, aut aliis certè majoris notæ functi honoribus. Posterioribus seculis unà cum literis Historia, ob præpollentis barbariei dominatum, aut fugit lucem, aut, ut verum fatear, diu non ad modum meruit. Alicubi tamen ea in sacri Ordinis hominibus, etsi face maligniore, reluxit: nonnunquam etiam simul cum illis ad celsa honorum culmina pervenit. Plurimi enim, qui historiam in tenebris languentem ac quasi depositam qualicunq; operâ suà resuscitarunt, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi fuêre. Caroli equidem Magni tempore Eginardus floruit, vir sanè magnus, & Imperatori adeò carus, ut & Cancellarium & generū sibi deligeret, posteris ex editâ ejusdem Caroli M. vitâ æstimand⁹. Sed & hunc nescio quis tandem amor solitudinis vitæ civili eripuit, &

Bene-

Benedictinorum inclusit cænobio. Ejusdem Caroli Imperatoris ex filiâ nepos fuit Nithardus, vir eruditus, & prudens, ideòq; negotiis inter dissidentes Caroli filios componendis adhibitus, de quibus etiam librum composuit. Cui meritò Ottonem Frisingensem subjungo, genere non imparem, laude Historiæ majorem. Pater ei fuit Austriæ Marchio, mater Henrici IV, Imperatoris, filia. Literas idē & calluit optimè, & jacentes, per Germaniam, magno studio refocillavit, atq; in lucem produxit. Res arduas cum ipse, licet Episcopus, gessit, tum gestas ab aliis decorâ industriâ ad posteros trāsmisit. Post renatas literas nō auferri equidem sibi decus Historiæ passi sūt sacri præsules: nam quantùm in eo studio Æneas Sylvius, superiore verò ævo, Baronius, nuper Bentivolius, Caraffa, Spondanus, Montacutius, Usserius, magnæ dignitatis Antistites desudaverint, opera eorum, etsi diversi coloris & fili, satis testantur. Sed jam extra

religiosi etiam Ordinis peristylia reperti sunt viri, honoribus illustres, qui tamen dignitatibus suis nescio quod insigne quasi fastigium, historias scribendo, imposuêre. Quos inter eminet Jacobus Augustus Thuanus, Vir sanè magnus, & præ cæteris hanc maximè laudem meritus, quod animum incorruptum, nullâq; affectûs fæce turbidum ad historiam attulerit. Quem eâdem orbitâ, sed animo, erga religione dissonos, vehementiore secutus est Gabr. Bartholomæus Gramondus, Parlamenti Tholosani Præses. Nec silentio prætereundus, qui Thuano ætate propè suppar, studiorum verò communium nexu conjunctissimus vixit, Janus Douza Nordovici Dominus, inter principes Batavæ Reipublicæ, & libertatis, & Pallados utriusq; vindices, suo merito numerandus. Cujus tamen inter laudes nec illa minima est, quod, conditis Annalibus, veram patriæ Historiæ lucem restituit, fatuosq; illos nugarũ, â nescio quib⁹ tenebrionibus

intru-

intrusarum, ignes extinxit. Adderem magnis his luminibus Josephum Scaligerum, virum eo genere oriundum, iis etiam animi viribus præditum, ut summis in vitâ civili muneribus minimè impar fuisse videatur. Sed is, valere jussâ ambitione, castissima Musarum sacra & innocens Sapientiæ Regnum amplexus adeptusq; alias dignitates mereri quàm assequi maluit. Nec in Historiæ, studis in quo plurimùm poterat, certæ alicui genti vel ætati calamum addixit: sed diffuso latiùs animo, omnem prorsus Historiam, doctissimis in Eusebii Chronicon annotamentis, & admirabili de Emendatione temporum opere, luculentissimè sibi devinxit. Sed assurgamus deniq; altiùs, & Historiæ calamum in ipsâ Regum atq; Imperatorū manu positum spectemus. In quo illam culmine antiquissimis temporibus, Ptolemæus, primus eo nomine Rex Ægypti, Soter quoq; aliàs, & Magnus appellatus, collocavit. Qui Alexandro M. bello-

rum diu comes, poſtea in Ægypti Regno ſuccesſor, non aliam meliorem magno illi Regi gratiam referre ſe posſe exiſtimavit, quàm ſi egregia ejus facinora, quorum ſpectator fuiſſet, ſcripto conſignaret. Inter Romanos quoq; non unus Imperator Hiſtoriam non curâ tantum, ſed ingenio & ſtylo dignatus eſt. Nam ut Julium Cæſarem, toties jam nominatum, taceam, heres & ſuccesſor ejus Auguſtus Cæſar vitam & res â ſe geſtas, nec non totius Imperii breviarium confecit. Auguſtum quodammodo imitati ſunt Aurelianus & Severus Imperatores, qui & ipſi vitas ſuas compoſuêre. Adderem & Julianum Apoſtatam, cujus de vitis Cæſarum libellus extat â Viro Clarisſimo Petro Cunæo ex Græco verſus: ſed quia is acerbam magis quàm veram priorum Principum cenſuram continet, potiùs inter Satyras, quàm hiſtorias cenſeri meretur. Meliori jure Joannem Cantacuzenum hîc nomi-

naverim, qui Andronici Imperatoris & ſimul ſuas res graviter ſatis & candidè deſcripſit: Vir inter alia eo quoq; mirificus, quod tandem Imperatorium diadema cum cucullâ, & auguſtam palatii lucem cum monaſterii umbrâ commutavit. Opinione meâ, forte & ſpe veſtrâ, Auditores honoratisſimi, diutiùs me tenuit prima argumenti pars: planéq; id, quod parti alteri debebatur, tempus præripuit: veſtram autem patientiam ita fatigavit, ut niſi illâ, ceu ferente deſtitui velim vento, portũ omninò cogar reſpicere; parte velificationis, quæ conficienda reſtat, in aliud tempus reſervatâ. Sufficiat itaq; nunc iſtâ qualicunq; operâ meâ ob oculos poſuisſe Divæ Hiſtoriæ comitatem, geniumq; illum adeò benignum & ſociabilem, ut nullum penè literaturæ aut diſciplinarum genus ſit, cujus is conſortium aſpernetur. Reddenda ei gratia eſt, mereturq; omninò Divarum nobilisſima, ut plurimos reperiat cultores,

quia

quia â nemine, qui literas Pallade propitiâ coluerit, dedignatur coli. Non igitur illam ſpernant, qui pio mentis inſtinctu ſacris ſe ſtudiis dedidêre: cum & plurimùm ipſis afferat utilitatis, & non aliâ magis, quàm eruditâ ſacrorum hominum manu, ut oſtendimus, gaudeat tractari. Æſtiment eandem, qui Juri, æſtiment, qui rei Medicæ operam navant, cum plurimos ſuæ artis viros, per hiſtoriam, egregium ſibi famæ decus intelligant comparasſe. In pretio ipſam habeant utriusq; Eloquentiæ candidati: certi, non ſe aliam pulchriorem arti ſuæ, quàm ex lauru Hiſtoricâ coronidem posſe imponere. Curæ quoq; eadem ſit negotiorum civilium miniſtris: nec unquam iſti rebus præſentibus ita unicè ſint intenti, quin & præterita ſibi revocent in mentem, & datâ rerum ſui ſeculi memoriâ, conentur benè mereri de poſteritate; atq; esſe ita non tam unius Curiæ vel politiæ, ſed orbis literati & æternitatis promicondi.

micondi. Nec ipſi illi, quibus rerum habenæ & magnorum imperiorum commisſa ſunt gubernacula, eruditā Hiſtoriæ tabulam faſtidient: cum in eâ impresſæ jam olim Regiarum manuum notæ appareant: cum & magni Imperatores, vitā non meliùs agendo magna, quàm ſcribendo prorogari posſe rati, ea quæ egerunt, ipſimet literis, verisſimis ſcilicet perpetuitatis cuſtodibus com̄endârint. Quod ſi autem laboris ejusmodi necesſitatem, in hâc literatorum hominum copiâ, ſibi putant remitti, ſaltem tamen curam Hiſtoriæ nunquam abjicient: ſed res memoratu dignas gerendo, earumq; monumenta ſervando, ſcriptoribus materiem, & porrò iisdem patrocinii ſui umbrâ ſecuritatem, deniq; perenni munificentiæ ſuæ benignitate honeſtum ac liberale otium præbere pergent: haud ignari amplisſimorum fructuum, qui ex Hiſtoriâ ad egregium publicum redundant. Quorum cum cogitatione abrepta nuperri-

mè Musa mea in carmen proruperit, id pace vestrâ, & citra περιαυτολογίας suspicionem, hîc coronidis loco subjungere liceat:

Sit pulchrum, struxisse Domos, quibus atria longo
Ordine, & Idæis laquearia fulta columnis
Siderei splendore faces imitentur Olympi.
Quasq; Semiramiis fæcundus odoribus hortus
Perflet, & argutis rivus circumstrepat undis:
Unde trahant placidos vicina cubilia somnos,
Unde novet Philomela sonos; pulchræq; per æstum
Irrorare comas adament, & brachia Nymphæ.
Hæc utcunq; placent, sensim tamen esa voraci
Dente vetustatis, senium squalore fatentur
Omnia, & in cineres tandem putrefacta residunt.
Sit pulchrum, stellante manum nituisse Pyropo,
Et tessellatam fulgescere Iaspide mensam:
Pulchrum auro sumpsisse dapes, laticemq; Lyæum,
Et spondâ tenerum deponere corpus eburnâ.
Pulchrum Sidonio velamina tincta veneno,
Et niveis molles humeris circumdare byssos:
Servorumq; pari rutilantem murice turbam
Augusto Procerum circumduxisse theatro.

Quid

Quid tamen his solidum? num splendescentis in ævum
Gloria lucis inest? Pereunt obnoxia multis
Casibus, atq; ipso tractu labefacta dierum
Deficiunt, & cuncta rapax oblivio delet.
Est pulchrum, meruisse sibi Virtute secures,
Regalesq; togas. Iuvat adscendisse tribunal,
Et latè populis dare jura, & ponere leges.
Est pulchrum, bello celebres peperisse coronas,
Et nomen prælustre sibi: gentesq; subactas
Et vinctos monstrare Duces, curruq; superbum
Ire triumphali, spoliisq; implere sacratos
Postes, & Dominæ celebrari plausibus Urbis.
Quid tamen in sacro viridantes vertice laurus?
Quid fasces & sceptra juvant? quid parta labore
Multo, & purpureo respersa cruore trophæa?
Cuncta dies abolet, Lethæaq; Regna silentûm
Infuscant trabeas, meritæq; encomia famæ,
Nec superesse sinunt: nisi quà Polyhymnia vindex
Eripit é tenebris laudes, vitâq; perenni
Imbuit Historiæ genius. Sola illa tacere,
Sola mori nescit: mutosq; interrita manes
Herculeæ meliùs perfringit robore dextræ.
Non huic Pyramides, valido non ære colossi,

Nec

Nec Mausoleæ moles, nec templa Dianæ
Vim tenuére parem. Dudum cinefacta sub umbris
Ista jacent, venitq; ipsis mors atra sepulchris.
Iamq; nihil nisi nomen habent, nec nomen haberent.
Hoc nisi perpetuis servaret amicta papyris
Historia, una potens rebus præstare vigorem,
Dignaq; victuris inscribere nomina cedris.

ORATIO ALTERA
De
Præcipuis Historiæ
Argumentis

Coram eodem Auditorio habita.

AUdax olim in fingendâ Deorum multitudine antiquitatis Paganæ superstitio, at eadem de vivacitate illorum, quos finxisset, adeò malè secura fuit, ut de excogitando etiã iis alimento laboraret. Pabulum illud Poëtæ, primarii gentilium sacerdotes, Ambrosiam vocarunt, specioso sanè & magnifico nomine, quippe quod ipsâ origine suâ meram sapit immortalitatem. Verùm ficta illa fictorum Deorum esca, nec nisi ludentis, aut perperam sapientis cerebri vapor, & inanis umbra fuit, quâ nemo unquã verè saturari aut refici potuit. Quòd si verò ulla unquam fuisse aut esse credenda sit Ambrosia, dicam bonâ pace vestrâ, & facili, ut opinor, omnium consensu, quæ illa esse videa-

tur. Hiſtoria eſt, Auditores honoratisſimi, Hiſtoria, inquam, eſt, quam ſvavisſimum optimi cujusq;, & cæleſtia quàm maximè ſpirantis animi cibum esſe, nemo non eorum, qui ſapiunt, fatetur. Quin ipſas cæli habitatrices animas, illas inprimis, quæ de terris in dulcem Abrahæ ſinum, beatumq; DEI conſortium translatæ ſunt, jucundâ actorum laborum, rerumq; â ſe laudabiliter geſtarum conſcientiâ ac commemoratione (quæ quid aliud quàm hiſtoria eſt?) mirificè delectari, non eſt dubium. Jam ſi ullum usquam in terris pabulum eſt, quod tum ipſum corruptioni non ſit obnoxium, tum alios ab eâdem vindicare, quâdamq; adeò immortalitate imbuere ac donare posſit, eſt certê Hiſtoria: Illa præſertim, quæ nomen partesq; ſuas implet, & perfectionis, qualem ab ingenio & labore humano expectare fas eſt, numeros habet. In illâ ſanè vivunt, qui mortui ſunt, in illâ ſibi manent ſuperſtites, & occulto ævo viridiq;

ſenectâ

ſenectâ florent, qui alioquin dudum unà cum ſepulchris ſuis computruêre. Ut adeò nihil illâ in his terris divinius eſſe videatur, propè nec ipſa Virtus, quippe cujus ipſa & pars inſignis, & fidelis conſervatrix, & nobile præmium eſt. Plurimùm porrò eadem habet jucunditatis, eiq; omninò illa, quam Ambroſiæ ingenia Poëtarum affinxêre, reipsâ ineſt dulcedo. Multam ſalivam eruditorum palatis movet Homerus, cum Jovem repræſentat, accumbentibus Diis Deabusq; ſuis, claudo Veneris marito miniſtrante, genialiter ſeſe invitantem. Cumq; totum hoc commenticium ſit, tamen delectat, quia narrat aliquid, ſicq; Hiſtoriæ ſpeciem habet. Adeò etiam illa, in quibus vel umbra Hiſtoriæ eſt, capere ac permulcere ſolent animos. Quanto magis cuilibet liberaliter nato atq; inſtituto homini vera ſapit Hiſtoria? Plurimis utiq; & magnis ſanè viris, ipſisq; adeò Principibus & quaſi Diis terrarum ita eam placuiſſe ſcimus, ut

 ple-

plerùmq; illi non alium gratiorem consiliorum ducem, comitem & magistram vitæ, laborum requiem, portum curarum, quidam etiam nullum morborum præsentius remedium habuerint. Quò minus mirum, si vos quoq;, honoratissimi Audit:, dulcedo Historiæ ita trahit, ut subinde eâ & oblectare otium, & contractam negotiorum severitate frontem exporrigere, & eâdem, ceu magistrâ domesticâ, animum instruere soleatis. Ea, opinor, nunc quoq; vos in hunc locum pellexit, quorum alioquin jam præsentiam optare vix sustinui, nullus equidē potui expectare. Prorsus ita est, Viri Magnifici & Amplissimi, tā frequentem & tam honorabilem concionem non alia mihi concivit illecebra, quàm quod de Historià nuper dixi, & iterùm me brevi dicturum promisi. Dies octo abiêre, cum, auspicali oratione, functioni meæ prælusurus inter mirificos nobilis Orphei & Amphionum concentus, assidente amplissimâ Auditorum

coronâ,

coronâ, hanc conſcenderam cathedram, & faventibus omnium animis dicere aggreſſus, duo potiſſimùm ſermone meo agere ſtatueram ac docere. Primum erat, quorum hominum induſtriâ tractari amet Hiſtoria; Alterum, quæ rerum genera ſoleat complecti. Neq; enim, cum primum meditandæ orationi admoverem animum, quæſtionum iſtarum alterutram ita uberem fore credidi, ut & mihi ad juſtæ dictionis materiem, & audientibus ad explendum animorum deſiderium ſola ſufficere poſſe videretur. Itaq; duplicem mihi campum aperire volui, ut ſi in priori ~~ſermone~~ parte vel mihi vel aliis minus ſatisfeciſſem, in alterâ locus eſſet compenſationi: ipſaq; adeò paulò longiùs diffunderetur oratio, ut, ſi fortè vi atq; elegantiâ dicendi minus, atq; oportuerat, permulſiſſet animos, eos ſaltem prolixitate ſatiaret. Sed cum in ipſo opere verſarer, atq; inprimis compoſitos â viris doctiſſimis Hiſtoricorum catalogos, ut in tali argumento

necesſe fuit, luſtrarem, tot ſe res præter opinionem obtulère dicturo, ut laborioſius penè ac difficilins eſset diſpicere, quid omitteret, quàm quid diceret Oratio. Itaq; niſi alacritatem honoratisſimi & frequentisſimi Auditorii faſtidio obtundere vellem, inhibere orationis curſum debui, & ſermonem ante abrumpere, quàm utrumq; ſermonis inſtituti argumentum plenè abſolvisſem. Unde pars dicendorum, quæ intacta tum manſit, mihi promisſi jam reo, novæ, ſed forſan brevioris disſertationis faciet materiem. Bonum enim nomen eſſe oportet, nec fidem, quam dedi, fallere, ſed exſolvere potiùs pro virium modo: quando inprimis & locus & tempus datur exſolvendi: cumq; inſuper, Vos, Fautores honoratisſimi, rem, quam ſuperesſe noveratis, adeò vobis gratam fore oſtendiſtis, ut de eâ alio loco dicere pollicitum, in hoc eodem theatro, vobis præſentibus, fidem me liberare volueritis. Unde colligere

licet,

licet, nupero ſermone non ita apud vos gratiam exolevisſe dicentis, quin ſpes ampla ſit, mihi ſecundùm jam dicturo eandem benevolæ auditionis ſpiraturam esſe auram. Quod ſi verò hanc, ita ut confido, ferentem experiar, beata videbitur, quæ reſtat, materies, quia eam nunc recens iterùm aurium excipiet aviditas, quam nuper feſſa, non ſine tædio forſan, admiſisſet. Sed jam ipſa quoq; brevitas faſtidium antevertendo avertet. Neq; enim laxare orationi fræna conſtitui, ſed, utcunq; ſe ſpatia quàm latisſima excurrēdi aperuerint, continebo me intra terminos arctiores. Quò cuivis etiam appareat, non fuisſe mihi propoſitum, quicquid in hoc argumento dici potuerit, exhaurire: utq; adeò ſuccinctior ejus tractatio non tam ariditati jejunè dicentis, quàm citò ſe expedire volentis properationi imputetur. Sed ne promiſſæ brevitatis leges in exordio ipſo transgrediar, age ad propoſitum accedamus.

Res,

Res, quas Historia complectitur, varii generis sunt & propè non aliis limitibus, quàm quibus hic mundus circumscriptus est, definiri possunt. Quicquid enim divina supremi architecti vis ac potentia producit, quicquid naturæ vel solertia effingit, vel abortit error, quicquid ingenium humanum invenit, quicquid labor extundit, quicquid virtus vitium ve efficit aut meretur, summatim ut dicam, quicquid rerum singularium (nam genera & ideæ rerum aliò pertinent) in hoc immenso Orbis systemate continetur, id omne suo modo subjacet Historiæ. Ut adeò latè admodum disciplinæ hujus seu artis pateat materies, neq; temerè in certas dividi classes ac quasi regiones possit. Arbitror tamen, nec me in hoc facilè fugiet ratio, si non totam, certè majorem ejus partem, Naturæ, Artis, gubernationis Divinæ & Civilis, comprehendi terminis. Natura uti artifex polydædala est, ita artificem admodum

dum Hiſtoriæ penicillum & magnam induſtriam requirit. Et quò longiùs per univerſum hoc diffuſa eſt, eò acrius & animum indagatorem, & ſcriptorem calamum exercet. Cùm inprimis ſecreta etiam ſua habeat, & multa in abdito qvaſi de induſtriâ recondat, ut tanto magis inqvirentium acuat diligentiam. Nullus certè Herodotus, nullus Polybius, nullus Livius tantum curioſitatis, tantum laboris, tantum ſumptuum in hiſtoriam ſuam impendit, qvantum in ſolam animalium naturam hiſtoriamq; inſumpſit Ariſtoteles: nec ſuffeciſſet profectò operi, niſi Orbis regnator Diſcipulus vigilem Magiſtri ſolertiam omni regnorum ope juviſſet. Dictatorem hunc Sapientiæ ſecuti ſunt in elaborandâ Naturæ hiſtoriâ Theophraſtus, Ælianus, Plinius, Cardanus, Scaliger, Geſnerus, Patricius, Aldobrandinus, Campanella, Lycetus, Jonſtonus, alii: qvos omnes certum eſt reperiſſe, qvod

iis, quæ priores ſcripſerant, adijcerent, ſed & omnes aliqvid, qvod ſeqventium opera adhuc adijcere posſit, reliqviſſe, non eſt dubium. Adeò inexhauſta natura eſt, adeò & profunda, ut nunqvam adhuc totam vel explicare vel intelligere etiam potuerit mortalitas. Auſus eſt humanus animus & usq; laudabili induſtriâ audet in ipſa ſe inferre ſidera, aliquam eorum & noticiam qværens, & prodere moliens hiſtoriam indies perfectiorem. Nec parùm ſane illâ in re præſtitum eſt hactenus, at quanto labore, quanto noctium vigilatarum impēdio! Quot Promethei perpetuâ illà ſpeculandi induſtriâ cor ſuum ceu roſtro Aquilino ſenſerunt exedi? quot ſub illo cæli perdiſcendi onere ſuccubuêre Atlantes? Et tamen, ubi & diu & multùm operi inſudatum eſt, docuit poſterior dies, ſubinde qvidem non malè collineatum eſſe ad ſcopum Veritatis, ſed nihil

hilominus etiam in multis graviter & toto penè cælo aberratum. Unde adeò nec hodie desunt, qvin & hoc ipso in loco degunt Viri, admirabili doctrinâ & experientiâ præclari, qui veterum inventa & corrigere & augere continuis multorum annorum laboribus connisi sunt, & usq; summâ cum suâ tum Urbis laude connituntur.

Sed nec illa, quæ sub cælo in immensum extenduntur spatia, curam humanam effugêre. Quippe quæ & ex veterum monumentis & propriis observationibus annotare laborat, quam admirabiles & effectus & vices habeant illa volumina, in quibus tot nova & mira sæpè lucent phænomena, ex quibus modò imbres destillant, modò nives grandinesq; præcipitant, modò fulgurant ignes, mugiunt tonitrua, prorumpuntq; tela, quibus nulla vis queat obsistere.

Porrò ventos etiam quantumvis celerrimos velocior longè mens humana aſſequitur, & per ſeculorum omnium memorias vim illius Spiritus inquirit, qui mare per ſe languidum incitat, qui arbuſta ſylvasq; convellit, qui terræ quatit fundamenta, qui montes, pagos, civitates integras evertit. Ut ſanè Spiritûs iſtius & naturam & hiſtoriam omnem, poſt alios quidem, ſed ſupra alios libro pulcherrimo exſecutus eſt Verulamius.

Neq; maris aquarumve regna, vires & miracula prætermittit Hiſtoriæ induſtria. Varias fontium ſcatebras & effectus, miros fluminum ortus, decurſus, exundationes, marium porrò ſpatioſiſſimos ſinus, Oceaniq; ipſius æſtus inexplicabiles, tum piſcium immenſam copiam, ac varietatem, monſtra item horrenda, ſyrtes deniq; & infames naufragiis ſcopulos exponit.

Terram quoq; perſcrutatur, & in eâ tam varia ſoli ingenia, tot montium juga, tot

latentes

latentes ignes, tot abſconditos metallorum theſauros, tot gemmarum diverſa lumina, tot porrò germinum plantarumq; diſcrimina, & tam admirandas multarum vires enarrat. Deniq; verò quæ in terrâ habitant & ex terrâ vivunt animalia, atq; inprimis Dominum reliquorum Hominem depingit, ejus naturam, ingenium, mores, corpus item, corporisq; particulas maximas, minimas, ſingularum item actiones, defectus, morbosq;, & quicquid præterea aliud de homine obſervationes aperuêre, perſcribit Hiſtoria: Illa nempe, quæ Naturalis appellari ſolet: hiſtoria omnium operoſisſima, & in quâ omnis humana ætas, & omnis ſeculorū labor, qvod agat, reperiet, necunquam tamen finem voti ultimum, metamq; deſideratæ perfectionis aſſequetur.

Eam ſequitur Artium ac ſcientiarum Hiſtoria, quæ nobilisſima ingenii humani inventa, eorumq; originem, incrementa,

 decremen-

decrementa edisserit: latissimè & ipsa, ut facilè domi unusquisq; secum conjicit, patens. Ejus quippe est, ipsa literarum artiumq; elementa, cui genti, quibusq; Autoribus debeantur, commemorare. Ejusdem est referre, qui homines dicendi ornamenta & colores, qui disserendi artificium invenerint: qui lyram ciere, qui numeris modisq; sermonem illigare, qui soccum cothurnumve pedibus aptare docuerint. Quis primos Sapientiæ fontes apud Ægyptios, Chaldæos, Indos, Gallos, Græcos, Italos, aliasve gentes aperuerit: quis naturæ abdita venari, quis speculari astra, *quis maris & terræ, numeroq; carentis arenæ* dare cœperit dimensiones. Porrò majorum quoq; Facultatum historia est, & habent suam Medici, Jurisconsulti, Theologi, adeò ut singuli magna implere volumina possint. Neq; verò originem tantùm disciplinarum scire libuit mortalibus. Inquisitum porrò notatumq; est, quæ fata singularum, quæ

periodi,

periodi, qui sectatores, quæ sectarum divortia, quæ earundem lites & certamina fuerint. Consignatum item, quæ Scholarum quarumq; initia, qui progressus, quæ lumina, quæ mutationes extiterint. Traditum quoq; literis, & tradi usq; accuratius meretur, quibus Nutriciis & Patronis effloruerint artes, qui Academias & Gymnasia vel fundaverint vel locupletârint, qui instrumenta eruditionis Bibliothecas, qui Alumnatus, qui stipendia instituerint. Sed inprimis circa virorum doctorum curriculum plurimùm semper laboratum est. Veterum enim Philosophorum vitas Diogenes Laertius, illustriũ Grammaticorum & aliquot Rhetorum Svetonius Tranquillus, Poetarum Petrus Crinitus, Historicorum Vossius, omnis generis literatorum Boissardus, Melchior Adamus, & nuper Nicius descripsêre. Verùm habent alia quoq; artificia, etsi literarum expertia, humano tamen generi fructuosa, suam hi-

storia-

ſtoriam, & tanto forſan minus negligendam bonis ingeniis, quanto magis negligitur. Antiqui equidem primos talium inventores non ſummis tantùm encomiis, ſed divinis prorſus honoribus coluêre. Uti ſanè agri colendi inventum non uni tributum Numini eſt. Oſiridi adſcribitur iſtis Tibulli verſibus:

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaq; non notis legit ab Arboribus.

Vulgò Cereri idem aſſignatum eſt: ex qvo ſenſu Ovidius:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris.

Sed ſive huic, ſive illi attribuatur inventum, utriq; in cæleſtium numero locum dedit antiquitas, nimia ſcilicet eorum, qui utilia artificia vel inſtrumēta excogitaſſent, veneratrix. Pariter enim vitis reperta Bacchum, ars navigandi Neptunum, negociandi Mercurium,

eqvi-

equitandi Castorem consecravit. Istorum autem & similium inventorum cum origo tam fuerit venerabilis, progressus etiam atq; incrementa eorundem debuêre, debentq; etiamnum annotari. Nam cum inventis semper aliquid addere possit temporum posteriorum industria, ea certè acuetur plurimùm, ubi sagacia intellexerint ingenia, quicquid additum fuerit, unà cum nomine addētis, litērarum monumentis commendari. Uti autem in augendo inventionum numero & in singulis perpoliendis absolvendisve multum humana desudavit curiositas: ita alicubi per nescio quem veternum aliqua veterum inventa perire sibi passa est. Hæc tamen, cum obliterari prorsus, & prout ab usu humano exclusa sunt, ita memoriâ excidere non debere viderentur, reperêre etiam scriptores suos: quorum omnium industriâ ut longè post se reliquit Pancirollus, ita, ut eum alii pariter imitentur, optandum est.

Sed ab artium historiâ ad illam progredior, quæ Divinum humanumq; rerum regimen complectitur. Ad Divinum quod attinet, id equidem ut ubiq; & per omnia rerum genera clarè elucet, sic ubiq; etiam annotari debebat. Non quod consilia Divina, antequam in effectum prorumpant, vestigari velim, id enim anceps & ferè illicitum est, multùmq; in iis, nisi DEI revelatio facem præluxerit, oculus humanus caligat. At ubi illa post solitas circumductiones, & anfractus varios eventu se ipso explicuêre, digna sanè homine pio opera est, quæ Divinæ illius gubernationis in humanarum rerum curriculo vestigia animadverteris, aperire aliis, atq; etiam, ut posteritatem instruant, mandare literis, æternitatis custodibus. Uti equidem eâ in re inter alios duo Magni Viri Augustinus & Salvianus diligentiam suam probavêre. Verùm in communi hâc inconsultæ mortalitatis scenâ plures ferè animum humanis, suis

nis, ſuis aut alienis intendunt conſiliis, Divinorum nimis incurioſi. Adeòq; DEI, quæ rebus omnibus intervenit, cura ac gubernatio non in omnibus obſervatur: ſed eò planè deventum eſt, ut bellè ſe res habere videatur, ſi dirigens illa DEI manus in Eccleſiæ ſaltem rebus attendatur. Nam hîc illa utiq; evidentiſsimè conſpicua eſt & non modò ipſa omnium oculos ferit, ſed & effecta ejus literarum monumentis ſolent conſignari. Unde illa Hiſtoriæ ſpecies emergit, quam Eccleſiaſticam conſvevimus appellare. In quâ præter Divinos ſacrorum annalium ſcriptores, Joſephus, Euſebius Pamphili, Sulpitius Severus, Rufinus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, Evagrius, Nicephorus Calliſtus & alter Gregoras, Chalcondilas, Trithemius, parentum noſtrorum ævo Magdeburgenſes, poſt illos Baronius, Torniellus, Salianus, Caſaubonus, Spondanus, Montacutius, Cramerus, Micrælius, Hot-

tingerus,non pari quidem omnes laude, ſed laudabili tamen conatu verſati ſunt. Quorum alii opera ſua à Filii DEI in carne apparentis natalibus, alii à mundi ipſius incunabulis ordiuntur. Iſti ita ab alto rem repetunt, ut cernere ſit, quo hominem amore dignatus ſit DEUS, dum conderet, imò & antequam conderet, quibus poſtea deliciis conditum voluerit circumfluere, quâ benignitate in peccatum lapſo & in exitium præcipitanti manum porrexerit, eidemq; de victore tum Sathanâ ampliſſimæ olim ſpem fecerit victoriæ. Cernere ibidem eſt, quâ ſolicitudine poſtea univerſos ad ſe homines vocet Deus, & cum non omnes pareant vocanti, quàm peculiaribus beneficiis collectum ex tot hominū myriadibus ſuorum cætum afficiat, ducens illum per lætiſſima verbi & gratiæ ſuæ paſcua, Angelorum cuſtodià ſepiens, & contra graviſſimos hoſtes defendens. Cernere deniq; eſt hujus ipſius cætus tenuia initia, ſed

tia, ſed mira deinde incrementa, juxta quoq; diverſos ejusdem mores, & exinde fortunam pariter non eandem. Plurimis enim exemplis hiſtoria illa oſtendit, Eccleſiam etiam inter optatos rerum ſucceſſus luxuriare, & mero felicitatis quaſi ebriam ſolvi in licentiam vitæ ac morum. Itaq; opus ei ſubinde eſſe divino flagello, quod DEI & ſui parùm memorem admoneat officii, & in gyrum obedientiæ reducat. Sed identidem etiam in officio & obſequio manentibus explorandæ fidei & conſtantiæ causâ immitti docet ignem calamitatum: & ſic nonnunquam peſſimorum hominum libidini atrocisſima quæq; in bonos licere. Sed hos tamen ne tum quidem deſeri à DEO, ſed imò roborari divinis ſolatiis & ita erigi, ut malis ſuis ceu experimentis Virtutis ſuæ, ceu uſitatis piorum inſignibus & ornamentis lætentur, & ſi res ferat, carisſima quæq; & vitam ipſam ſpe melioris vitæ, divino honori & cæterorum hominum

 bono

bono libenter & interriti impendant. Improbos contra quasi indignos castigatione divinâ æterno carnifici & suppliciis nunquam desituris relinqui. Interim in ipsâ felicitate miseros esse, & qvò se magis in altum attollere videâtur, eo graviore præcipites ire ruinâ. Sed inprimis circa publicum Ecclesiæ regimen multa occurrunt digna memoratu. Nam nec unius generis, aut coloris illud hactenus fuit, & nihil est quod plura in Orbe dissidia, schismata, bella deniq; concitarit. Inprimis postquam Avaritia, Ambitio, Tyrannis rerum potiri cœpêre. Quæ enim collisiones Antistitum inter se, quæ eorundem certamina cum Principibus fuerè? Quoties diris exsecrationibus fulminatum in Reges, quoties magnorum Imperatorum cervicibus insultatum est? Hæc omnia Historiæ est annotare: & annotarunt illi, quos ante nominavimus, quanquam affectu & calamo multùm discorde. Porrò ut civile regimen sine con-

ventibus publicis administrari non potest, & aliqua talium necessitas etiam in illis Regnis occurrit, ubi omnes unius jussa Principis adspectant: ita Ecclesia semper Synedria sua & congregationes, minores, majores habuit, in quibus ii, quorum intererat, dispicere debebant, ne Religionis sanctitas & publica rerum sacrarum vel dignitas vel utilitas pateretur detrimentum. Is opinor, scopus, is finis conciliorum fuit, quanquam non nescius sum, in his quoq; multa identidem non probanda intervenisse. Præcipuè verò dogmatum divortia & hæresium loligines occasionem dedêre Synodis. Nam quemadmodum morum, ita nec opinionum sinceritas ita in Ecclesiâ unquam servari potuit, quin nonnunquam in devia irent animi humani. Subinde aliquos seu amor novitatis & illicita scrutandi libido, seu contradicendi studium, seu cupida inclarescendi arrogantia, seu deniq; turbatæ mentis error, machinatore

Satha-

Sathanâ, DEO justis de causis permittente, in sententias & absurdas & noxias impulit & adhuc impellit. In quas cum alii melius sentientes insurgunt, magni sæpè animorum, magni Ecclesiæ totius, nonnunquam & Regnorum motus solent oriri. Neq; enim diu intra amicas collationes aut disceptationes privatas sacra litigia consistunt: â voce in calamos derivari, calamis in Orbem longê lateq; dispergi consvevêre. Ita gliscit ulteriùs malum, & cum errores quoq; & mendacia, vitio hominum, nimis multos sæpè fautores reperiant, inde fit, ut factiones, & dissidia oriantur: rectè autem sentienti Ecclesiæ multùm facessatur negotii, antequam vomicas ejusmodi vel supprimat vel excernat. Nam & externa vis sese interponere solet, cum inprimis ipsa quoq; hæresis adeò invaluit, ut armis se defendere, aut etiam lacessere alios ausit. Uti vel Gothorum olim exemplo satis patuit: qui cum Italiam in-

vasis

vasissent, simul mox hæreticas & amplexi & tutati sunt sententias, quibus non minùs Ecclesiam, quàm bellis imperium afflixêre. Talia itaq; in sacrâ Historiâ paginam penè utramq; faciunt. Talia & inposterùm, opinor, scribentium calamos occupabunt: neque enim defutura credo dissidia, donec homines erunt, nec hæreses, donec vera religio. Verùm rapit me tandem ad se regimen humanum. Quod humanum ideò voco, quia & hominum ministerio peragitur, & circa humanas virtutes, & vitia, actiones item, privatas vel publicas, tum actionum denique eventus occupatur. Quæ viri in regimine aliquo versantes privatim agunt, minus forsan historiam mereri, potiusq; intra paucorum hominum conscientiam & contineri plerumq;, & meritò continenda esse videri possint. Sed sæpenumero contra accedit. Nam & domesticas talium latebras humana subinde curiosi-

 tas

tas excutit, luſtrat intimos receſſus induſtria, & omnia maxima minima perſcrutatur. Præſertim ſi de Viris inſigniter claris & in ore omnium verſantibus res ſit: nam in talium vitâ nihil non aut amor & admiratio ſuſpicit, aut livor perveſtigat, aut cura ſolicita ambitiove ſcribentis conquirit. Porrò avidè legi ſolent, qui ita exquiſitè omnia perſcribunt, quiq; iſtud velut aurum unà cum ſcoriis ſuis ac ramentis colligunt. Nam & ipſa hæc nihil omittentium diligentia ac libertas laudem ſcriptoribus, fidemq; ſcriptis conciliat: his verò pariter gratiam materies addit, quia quisq; ferè hominum cultiorum, ut antê dixi, viros magnos non tantùm quales in publico fuerint, ſed & eà parte, quâ non ita multis patuêre, cupit cognoſcere: ſolitâ mortalium in obſcura & paucis cognita inquirendi libidine. Ut adeò hoc etiam lenocinio manus omnium tanto facilius adierint, qui vitas illuſtrium

virorum, actionesq; eorundem tàm privatas quàm publicas, suis depinxêre coloribus: quanquam aliàs quoq; suà luce satis splenderent. Inter quos suo merito principatum tenet Plutarchus, vir magnus & cui nulla nostra laus facilè suffecerit. Ei proximus, etsi ætate major, Cornelius Nepos est. Suppares sunt Svetonius, Dion Cassius, Herodianus, aliiq; Historiæ Augustæ Scriptores, ingenio & stylo dissimiles, omnes tamen suâ laudè digni. Quibus post renatas literas accessêre Petrarcha, Bocatius, Volaterranus, Paulus Jovius, Boissardus, Thevetus, Nicolaus Reusnerus qui omnes, præclaros variarum gentium homines in literas misère. Mores Pontificum Platina, viros Genuensium insignes Jacobus Bracellus, Mediolanensium Carolus Stephanus, Venetos Petrus Marcellus, Matthæus Castricius Germanos collegère. Quos diligentiâ æquasse, in multis etiam vicisse credi possunt, qui singulos e-

jusmodi viros singuli sunt aggressi describere: quemadmodum Moysen Philo Judæus; Agricolam socerum suum Tacitus; Mæcænatem Meibomius noster; Constantinum Magnum Franciscus Balduinus; Alphonsum Arragonium Panormitanus, Æneas Sylvius, & Mantuanus, Scanderbegium Marinus Barletius, Vitichindum Reineccius, Henricum VII. Angliæ Regem Verulamius, Ludovicum XI. Petrus Matthæus, Fronspergios Adamus Reisnerus, Mediceum Puteanus, Fabianum de Dohna Vossius, Tychonem Brahe & Peirezium nuper Gassendus. Quidam & ipsi vitam & actiones suas composuêre, freti magis fiduciâ morum, quàm ullo arrogantiæ typho impulsi. Quod ut olim Rutilius & Scaurus, Cæsar Augustus, ita superiori seculo Maximilianus Imperator, nostro ævo Jacobus Augustus Thuanus fecit. Sed isti penè omnes Autores publicis privata multa miscuêre. Tempus est

ut

ut ad ea accedamus, quæ nonnisi extra domesticos cancellos, privatasq; necessitudines, in publico Virtutis & Fortunæ theatro, geruntur. Sunt autem publica ista duûm potissimùm generum: nam aut togæ negotia, aut militiæ res complectuntur. Cum res pacatæ sunt, occurrunt identidem describenda salubria legum instituta, quæ vincula tranquillitatis publicæ, & justitiæ sunt præsidia. Occurrunt dati benè meritis honores & præmia: occurrunt item ausa tum improbè commissa, tum severè castigata. Quanquam subinde etiam infractarum legum, oppressæqve impunè innocentiæ, avaritiæ item, Ambitionis omnisq; licentiæ nimis crebra interveniunt exempla. Offerunt se porrò consilia de promovendâ acuendâq; in hominibus pietate, de commodi & decoris publici conservatione, fovendâ aut reducendâ Ordinum concordiâ, de urbibus muniendis ornandisve, de ducendis Colo-

niis, augendis commerciis & id genus aliis argumentis. Offerunt se legationes missæ aut receptæ: fœdera item quæsita vel oblata. Objiciuntur plebis coitiones & Tribunicij spiritus, comitia item tum serijs arduisq; negotiis solicita, tum non raró factionibus multisq; concionum certaminibus inquieta, nonnunqvam etiam per discordias omni bono effectu frustrata. Subinde veró artes qvoqve civiles sub Historici veniunt stylum, nec illæ tantùm, quas prudentia sine damno probitatis invenit atq; exercet, sed & arcana illa machinamenta, quæ sæpè speciosa magis, quàm honesta, boni tamen publici integumento velare se ac commendare solent. Quales doli utinam intra Philippos, Tiberios, Sejanos, Machiavellos stetissent: minusq; adeò aulas ac politias infecissent Christianas. Sed quia jam nimium in grandioribus potissimùm Aulis invaluêre, & subinde per mira & neutiquam probanda in publi-

bli-

blicum erumpunt effecta: annotari qvidem illi, si benè innotuêrunt Historico, debent: sed non aliâ fini, qvâm ut bona ingenia nosse discant angves istos, tantoq; rectius & fugere illos, atq; adversum eosdem munire se possint. Cæterùm ista quæ hactenus enumeravimus, ita pleraq; sunt comparata, ut belli etiam temporibus in Republ. habeant locum. At bellum his alia accumulat, qvæ rebus pacatis non conveniunt, historiæ autem usitatissima ferè sunt materies. Qvis enim hominum in annalium monumentis crebriùs versantium nescit, quàm pleraqve istic apparatibus Martiis, delectib⁹ & discursationibus militum, velitationum deniq; ac præliorum fremitu circumsonent? Passim ibi contecti aut exercitibus, aut cadaveribus campi, rura desolata, urbes obsessæ, occupatæ, aliquæ in sanguine suorum natantes, aut in cineribus suis sepultæ occurrunt. Verum enimverò cum omnia Regnorum Re-

rum-

rumq; publicarum tempora, tum earum inprimis revolutiones maximarum rerum campum Hiſtoricis aperiunt. Plerumq; enim illæ magnis gentium commotarum certaminibus, aliquando etiam civium in ſe mutuò ruentium colliſionibus conſtant. Raró certè ſine ingente & labore & ſtrepitu grandes illæ imperiorum arbores cadunt, etiam cum multâ intus vitiorum carie ac putredine ſubeſæ videntur. Et hæc ipſa vitia, quæ mutationes acceleraverint, ſi exponere velit Hiſtoricus, non mediocris ei labor, nec minor invidia incumbet. Aliqvando autem non tam vi apertâ & ſtrictâ gladiorum acie, quàm callidâ grandium ingeniorum arte ac ſagacitate, ſine multo ſtrepitu, circumaguntur imperiorum Orbes. Nihilominus in ipſis his aſtutiæ machinamentis habet quod agat, & ubi ſcalpat ingenium Hiſtoricus. Occultis enim ſe nexibus diu celant illæ molitiones, & nonniſi per longos conſiliorum

tra-

tractus, variosq; quasi gyros ac mæandros se solent evolvere. Oculorum itaq; non mediocri & diligentiâ, & perspicaciâ opus est, ut quis abstrusa illa & velit venari, & possit pervidere. Nonnunqvam etiam periculo non caret libertas, quæ talia scrutari ac scribere non vereatur. Unde adeò veteres quascunq; imperiorum vices revolventi non mirum propè videri queat, si pauca ingenia ad eas, dum recentes essent, describendas operam applicuêre. Neq; enim multis ad illos cineri doloso suppositos ignes libuit accedere. Sed si in ipsis his rerū conversarum articulis pauci reperti sunt, paulò post tantò plures exstiterunt, qvi seu animi magnitudine, ac curiositate, seu posteritatis demerendæ studio, seu aliis stimulationib. impulsi, rem arduam aggredi non dubitârunt. Nam & factum est semper, nescio qvo fato, ut sub ista publicarum conversionum tempora plerumq; doctrinæ & artium

 studia

ſtudia ſe juxta commoverint. An fortè idem ille ardor,& vis quaſi fatalis, quæ nonnulla ingenia ad res arduas novasq; in Rep. occæptandas ſuſcitaverat, alia ad Muſarum diſciplinas diligentius excolendas inflammavit? Sanè non eſt ineptum credere, certis ſeculis vehementiore & ſingulari aliquo impetu rapi animos, eodemq; pène tempore ad diverſa quidem ferri, ſed quocunq; dederint impetum,nihil moliri, nihil agere mediocre. An verò etiam mutationes ejusmodi publicas pacis quædam ſecuritas & velut malacia antecedere ſolita eſt? quæ animos dulcedine quietis ita emollierit, ut aliis laboribus pacis & togæ artes præferrent: Interim autem dum ad otium literarium plura & meliora ſe pectora applicuerint,eâ occaſione uſi alij tantò altius aſſurrexêre Marte & ambitu, illisq; quietem magis quàm arma ſpirantibus caſſes interim dominationis cæpêrunt injicere? At factis jam imperio-

rum

rum circumvolutionibus artes plerumqvè eximiê effloruiſſe minus mirum eſt, cum illi ipſi, qui inter res novas ad imperium emerſiſſent, ſtudia fovere ſoliti ſint, partim ut præſenti rerum mutatarum faciei â luce literarum ſplendorem conciliarent, partim ut eſſent, qui facta ipſorum donarent æternitati. Verùm rei de quâ ago, alii alias forſan attulerint cauſas, mihi ſatis eſt dixiſſe, plerumq; magnis rerum converſionibus innecti qvodammodo artium fata, & literarũ noſtrarum Phoſphorum haud ferè qvàm ab Oriente grandium imperiorum Sole ita remotum fuiſſe, quin eum brevi intervallo vel præceſſerit vel ſecutus ſit. Poſſem, ſi opus eſſet, hoc quod dico, plurimis & ex omni memoriâ petitis demonſtrare exemplis. Sed rem ſatis, imò plusquam ſatis, evidentem, opinor, reddent tres illæ maximæ & toto Orbe clarisſimæ mutationes, quarum prima ab Aſſyriis ex Medis ad Perſas, alterâ â Per-

 ſis

ſis ad Macedonas, tertia â Macedonibus ad Romanos tranſtulit imperium. Perſarum Monarchiam uti notum eſt, Cyrus inſtituit, metamorphoſi eò memorabiliore, quod antehac nulla penè talis facta erat. At quo tempore ille Perſarum nomen ê tenebris in lucem provexit, eodem quoq; literæ extulêre caput. Nam & Daniel vir certè eruditus, divinusqve planè vates & hiſtoricus, ſcientiarumq; magnus propagator tum vixit, & in Perſiâ ipsâ Magorum emicuit nomen, in Græciâ deniq; ſeptem Sapientes, Pythagoras item, Phocylides, Epicharmus, Pherecydes, Syrus, Anaximander, Anacreon, Steſichorus floruêre. Cum poſtea elapſis annis ducentis & quod excurrit, ereptum Perſis imperii axioma ad Macedonas deduceret Alexander, pariter etiam ſtudia Sapientiæ paulò ante per Socratem, Platonem, erecta, in diſcipulis ac ſucceſſoribus illorum inſigni honore effulserunt. Ipſa etjam

jam Hiſtoria uti paulò ante hujus Monarchæ tempora in Herodoto, Thucidyde, Xenophonte moverat lacertos, ita eodem viventе, in Calliſthene, Heraclide, Dicæarcho, Marſya Pellæo, Euhemero, poſt illum autem in Beroſo, Manethone aliisq; plurimis enituit. Jam Julij & Auguſti Cæſarum ſi videamus ſeculum, eo ſanè motos eſſe Reip. Romanæ cardines, at tandem feſſas imperij res ſub unius dominatum ceſſiſſe notum eſt: Sed nec illud ignotum, eodem tempore literas ad ſummum perfectionis, aut honoris ſaltem perveniſſe faſtigium. Tum quippe eloquentia in Cicerone, Hortenſio, Antonio, Craſſo, Meſſallâ, Pollione, tum Poeſis in Virgilio, Ovidio, Horatio, morum diſciplina in Cratippo, aſtrorum ſcientia in Soſigene: Hiſtoria deniq; ipſa in Livio, Cornelio Nepote, Vellejo Paterculo aliisq; exſplenduit. Verum omnia illa, quæ hactenus enumeravimus, rerum genera latè diffuſis monumẽ-

tis annotant nonnulli ſcriptores, per univerſum hoc mundi theatrum, per Regna & Respubl. omnes, perq; omnes ſeculorum tract⁹ ſtylum operamq; ducentes. Et hânc vocare ſolemus Hiſtoriam univerſalem. Nonnulli â magno illo rerum ac temporum corpore partem ſibi decerpunt, & alij unius gẽtis, Principis, Civitatis aut Reipubl. res ab initio geſtas componunt, alij unam duntaxat aliquam expeditionem memorant, alij antiquis omnibus prætermisſis quæ ſuo tantùm ſeculo per Orbem acta ſunt, deſcribunt. Quibus ſcriptorum generibus ſingulis ſi immorari jam vellem, videtis, mare iterum aperiri, in qvo orationis vela pulchrè explicare poſſem. Sed mihi jam non tam copiam dicendi conſectandam, quàm finem reſpiciendum arbitror: & ſcio in manibus eſſe autores, qui totum Hiſtoricorum conſilium in claſſes magnâ ſolertiâ diſtribuêre, Mihi jam ſatis eſt dixiſſe, omnes iſtos, etſi

diver-

diverſo modò tractent Hiſtoriam, utiles tamen eſſe publico, & laudem mereri, ſi modò penſum, qualecunq; ſit, quod ex Hiſtoriâ ſumptum aut commiſſum illis eſt, benè detexuêre. Illi ſanè qui univerſalem ſcribunt Hiſtoriam, uno quaſi complexu animorum omnia delibare cupientium aviditatem explere laborant. Alteri in ſingulis perquirendis atq; annotandis diligentiores id dant operam ut eos ſatient, qui omnia hujus vel illius populi aut Principis facta & eventa, minima maxima, ſcire deſiderant. Unde fit aliquando, ut de unâ gente, vel Regno, imò unà aliquâ inſigni familiâ bello, mutatione Regni, non minores propè conficiant libros, quâm illi, qui omnem mundi hiſtoriam uno faſce comprehendêre. Cæterùm qui in hiſtoriâ diſcendâ exercere ſe cupiunt, ſi rectè & ordine progrèdi velint, primò omnium generalem aliqvam univerſæ Hiſtoriæ Synopſin animo debent impri-

me-

mere. Quò & continuam temporum ſeriem & ſuccedentium ſibi rerum imperiorumq; nexum ritè percipiant. Nam niſi huncperceperint, Sylva Hercinia & merum chaos ſemper illis fuerit Hiſtoria. Qui Medicinam diſcunt, non antê in minutisſima morborum diſcrimina ſingulorumve remedia inquirunt, quàm elementa univerſæ artis ex ſuccincto aliquo breviario perceperint. Et juri qui applicant animum, nonniſi devorato Imperatorij codicis compendio, in legum diſceptationumqve forenſium latifundia audent exſpatiari. Quod in iſtis artibus rectè fieri omnes exiſtimant, cur non pariter in Hiſtoriâ obſervari debeat, videre nullus poſſum. Sed niſi fallor, res quam volo, certa eſt apud omnes, ita ut operam ludere meritò videri poſſem, ſi ulteriori incumberem demonſtrationi. Potius igitur, quod verbis non eget, exemplo atq; experientiâ probare aggreſſurus, Tibi, florentisſima juvenum

corona, brevem rerum ab orbe condito gestarum epitomen dare constitui. Quanquam in hoc pariter proposito, etiam ubi id jam firmiter animo sederat, occurrisse mihi fateor scrupulos, qui me diu habuêre solicitum. Nam cum tot ante me composita historiæ viderem breviaria, dubius fui, an aliquod alieno labore paratum vobis explicare, an potiùs novum meâ qualicunq; industriâ confectum proponere satius esset. Pleraqve igitur ab aliis in hoc argumento edita compendia cum curâ inspexi, & ut dicam, quod res est, in singulis penè inveni, quod probarem, sed nec, quod improbarem, nō inveni. Nonnulla nimis brevia & concisa; alia ita prolixa videbantur, ut nec commodè huc afferri, nec nisi longo tempore percurri posse viderentur. Illa ut sceleta quædam nimis arida intuebar, hæc ut corpora quidem non procera, sed in brevitate sua nimis crassa & pinguia.

Illis explicantis operâ carnem quasi circumfundere, his toros minuere animadvertebam oportere. Illud tantundem penè operis requirere perspiciebam, quàm si novum opus molirer. Alterum facilius quidem fore, sed pariter tamen non cariturum fastidio videbatur. Si enim tantùm aliqua in Autore resecanda, cætera autem retinenda ac proponenda forent, (uti sanè ea docendi ratio crederetur requirere) futurum omninò prævidi, ut & mihi aliena verba afferenti, & auditorio non nova excipienti, tædium oriretur. In cæteris, quæ justâ brevitate non displicebant, alia â me desiderabantur, & multò plura, opinor, ab aliis fuissent desiderata. Quare propriâ mihi curâ conficiendum putavi compendium, in quo meo qualicunq; judicio, sed inprimis ætati & usui vestro omnia attemperare liceret. Ac ordinem quidem rerum ex aliis laudatis Autoribus (inter quos Viri Clar. Joannis Clu-

veri

veri labor mihi præ cæteris meritò placuit) cum veniâ omnium peti posse credidi: verborum texturam mihi volui relictam. Ad tale igitur opus vos jam invito, florentissimi Historiæ candidati. Vos me, imbecillem corporis valetudinem, & alia non levis momenti negotia vestræ utilitati posthabentem, paribus studiis erigite atqve excitate: vos novum vobiscum curriculum ingredientem, & quâ potero industriâ præcursurum, alacriter sequimini. Deus verò Opt. Max. cursum nostrum ita dirigat, ut feliciter & inoffenso pede, ad scopum Historiæ, notitiam veri, & ad divinæ laudis egregiiq; publici metam pertingamus. Vobis verò, Magnifici, Amplissimi, omniumq; ordinum Auditores honoratissimi, meritò gratias debeo: qvi hoc futuri laboris mei primum quasi protelum, vestræ honore præsentiæ ornare, & cum me, tum hanc ipsam literariam pubem luculento iterùm vestri in literas favoris testi-

 monio

monio exhilarare, atque ad alia majora animare volueritis. Deus perpetuò benè vobis esse velit, per quos Musis benè & est, & ut spero, ac opto, erit. Me, quia aliud grati animi monumentum tantis Fautoribus rependere jam non possum, subit cupido, aliquid iterùm de Ambrosiâ nostrâ Poetico-Historicâ vobis impertiendi: nec inconveniens arbitror, ut quemadmodum ab isto Deorum, ceu veteres Poetæ appellabant, cibo nostrum hoc orationis tenue epulum orsi sumus, ita id in ejusdem generis bellariis finiamus. Quantum itaque eorum â Musis impetrare jam licuit, id Odæ fasciis involutum, benevolis â me animis suscipere ne gravemini.

QUæ penna sacro provehet impetu,
Divûmq; vatem cœtibus inseret,
Hoc artuum tardante iturum
Pondere, non docili supernas.

Sequi

Sequi per arces? quà vaga ſiderum
Lapſu perenni volvitur orbita,
Phæbusq́ mundi luminator
Ignivomas agitat quadrigas.

Aſt has & ipſas rapta ſupergredi
Mens ardet, ut ſe concilio ſacro
Heroum, & auſu non ſolente
Miſceat Angelico theatro.

Res nulla nos huc rectius inferet,
Quàm fulta magnis Hiſtoriæ fides
Autoribus, ſi fixa menti
Æthereo viguit calore.

Hæc monſtrat hortos, quos hominum gregis
Proſeminator *perdidit inſolens,*
Dum ſcire quærit non ſcienda,
Et negat eſſe Deo ſecundus.

Hâc Abrahami *conſpicimus fidem,*
Cultrumq́ ſacrum, quem Pater ultimâ
Feſſus ſenectâ in non merentis
Unigenæ jugulum parârat.

Hæc bellicoſum cernere Joſuam
Præbet, ſuperbæ mænia Jerichûs

Cui ſupplicârunt, tranſiturum
Quem refugus trepidavit amnis.

Hîc fert ſonoram Regia barbiton
Propago Jeſſæ : *nobilis emicat*
Fundâ lapillus, qvo cruenti
Effera vis cecidit Gigantis.

Lucet juventus hîc Salomonia
Fulgore mentis : ſic opibus tamen
Temploq́ ſplendens, plus nefandi
Ut rubeat maculis Amoris.

Hîc Joſaphati *præmia percipit*
Divina virtus: Ezechias, *diem*
Qvi retrò euntem vidit, hîc jam
Non moriturus agit perennem.

Hîc Danielis, *nobilis Aulici*
Mentem futuri vivere præſciam,
Illamq́ cerno ſanctitatem
Terribilem gregibus Leonum.

Hîc Maccabeis *tempora fratribus*
Laurus coronant. *Hîc* Eleazarus
Immortuus quondam flagellis,
Sidereâ ſaturatur aurâ.

Hîc cincta septem pignoribus Parens
Fuso nitescit sangvine pulchriùs,
Qvàm mille cum certant Smaragdis
Mille simul positi Pyropi.

Hîc parvulorum *gloria martyrum*
Semper virenti floret adoreâ:
Vitâq; sancit sempiternâ
Fata, truci properata ferro.

Hîc & vetustis addita Vatibus
Apostolorum *dodecas, aureâ*
Sedens curuli, flagra sceptris
Pensat, & opprobrium coronâ.

Nam cernit infra se decus Hectorum,
Cyrosq; fortes, claraq; Thessali
Ductoris arma, & quicquid olim
Romulidum valuêre fasces.

Quanquam nec istos fama volucribus
Neglexit alis de scrobe tollere
Lethi voracis, nec sepultos
Docta latere sinit Camæna.

Hæc de tenebris Theôdosios *rapit,*
Nomenq; magnos perdere Carolos;

Et

Et Barbarossas, & Capetos
Perpetuis prohibet papyris,

Non hæc Chrobréos, *non* Crivoustios,
Septentrionis lumina, subticet,
Non & Jagellonem *tiarâ*
Conspicuum & pietatis armis.

Qvo Rege cessit gloria Dæmonum,
Coliq; quercus desiit æmula
Cælo, nec aras hîc Luperci
Postea, nec tenuêre Fauni.

Ejus verendum Teutonicæ manus
Sensêre Martem: sangvine plurimo
Cum tinxerant terras fugati
Sarmaticis Aquilis Magistri.

Cui non minori concita gloriæ
Successit œstro vis Casimiria,
Quâ nullius sceptrum Monarchæ
Pronius hæ coluêre terræ.

Huic, cum superbum decuterent jugum
Cervice, fasces sponte Borussicos,

Huic

Huic jura concordes tuenda,
Arbitriumq; sui dedere.

Quem gloriosis postea dotibus
Stirps æmulatur, semper amabili
Serena vultu, nec triumphis,
Justitiáq; minor fideq;.

Et hanc avitis certat honoribus
Mactare mentis Sarmata liberæ,
Illiq; vectigalis omnis
Prussiadum dicat ora linguas.

Nec Te, Gedanum, quæ caput exeris
Illustre terris, littore Balthico,
Oblivii mersam latebris
Historici siluére libri.

In secla dudum transiit inclytum
Nomen, Tonantis quod reperit timor,
Fidesque, & haud ullas morata
Blanditias aciesque virtus.

Clarent sonoris pectora buccinis
Legum severæ dedita regulæ,
Claret rigorem temperantis
Cura simul memor æquitatis.

Nec cessit annis Magnificentiæ
Splendor decorus, nec manus erigens
Res indigentum, nec benignum
Exulibus renuens asylum.

Vincit cupressos vivere pertinax
In literatum summus amor gregem,
Phœbi recludens corda sacris,
Pegasciisque patens Camænis.

Hæ porrò grates, Urbs tibi nobilis
Reddent, futuro cum dare tempori
Tuos honores, cum sonare
Solis utroque volent cubili.

Vos singulatim, qui Patriæ Patres
Dici meretis, pectora Numini
Sacrata, docto fonte pleni
Castalidumque Dicesque mystæ,

Vos nulla condent secla silentio,
Pulcrisque reddens dulce laboribus
Decus sepulcri ignara Virtus
Vos cupidis sociabit Astris.

Ad Amplissimum, Excellentissimumque Virum,

D. JOACHIMUM PASTORIUM,

Med. D. Historicum Regium, & Gymnasii Gedan. Profess. Honorar.

Cùm Orationes duas,

Alteram,

De Scriptoribus Historiæ idoneis,

Alteram

De Variis Ejusdem Argumentis,

habuisset,

EPIGRAMMA.

HIstoriæ qvis sit censendus idoneus *Autor,*
Qvas que fovere suo *Res* velit Illa sinu,
Exseqveris, lectâ meritò plaudente Coronâ,
PASTORI, Historicæ lux, columenq; Rei.
Da veniam. Partem haud opus est *audîsse* priorem:
Qvi cupit hoc breviùs discere, TE *videat.*

Dn. Cognato pl. honorando appl.

JOH. PETR. TITIUS
Eloqv. Prof.